NOVAE ERUDITORUM DELICIAE

SEU

VETERUM ΑΝΕΚΔΟΤΩΝ OPUSCULORUM COLLECTANEA.

FRANCISCUS FONTANI
Bibliothecae Riccardiane Praefectus

Collegit, Illustravit, Edidit.

TOM. III.



FLORENTIAE MDCCXCIII.

TYPIS PETRI ALLEGRINI
Cum Adprobatione.

BR
62
.F72
cop.3

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO

VINCENTIO RICCARDIO

CLANNIS, RUPIS ALTAE, ET MELAE

MARCHIONI

DOMINO SUO MUNIFICENTISSIMO
HOC QUALECUMQUE OBSEQUII
ET VENERATIONIS MONUMENTUM

FRANCISCUS FONTANI

DEDICO CONSECROQUE.



EX quo collectaneorum meorum Volumen Tertium Sacris, iisdemque probatissimis Commentationibus

bus coaelescere instituí, VIR NOBILISSIME, statim occurrit animo nulli alii nuncupatum consecrare quam TIBI, veluti meo praesenti cuidam Numini, atque eo munusculo TUAE erga me Humanitati et Benevolentiae gratiam qualemcumque rependere. Si commentationes ipsas inspexeris, TECUM praeclare atque ex voto a me factum esse putaveris, quod TIBI obtulerim quae Germanae Pietati innutriendae accommodata maxi-

me ſunt; ſi vero Auctorum illarum nomina expenderis, nil praeclarius, jucundius nihil a me fieri poſſe cenſebis, quam ut pro viribus contenderim eorum optatiſſima opuſcula in vulgus proferre, quae jam ſquallorem et tineas reformidabant. Accedit quod ea uſque adhuc Anecdota nunc prodeunt plerumque ex Inſtructiſſima, atque ornatiſſima GENTIS TUAE Bibliotheca, Scientiarum omnium Sacrario, adeoque hac ipſa

de

de causa TIBI iucundiora fortaſſe erunt, quod nova facie et culto conſpicua e tenebris in quibus inculta iacebant et incognita, nunc tandem emerſerint omnibus conſpicienda et attrectanda, in dias luminis auras, uti par erat, evocata. TU Muſas, Muſarumque alumnos, atque optima quaeque ſtudia, ex Illuſtriſſimae TUAE FAMILIAE inſtituto, munifico iam patrocinio tueri ac fovere ab incunabilis fere conſuevisti;

Tu Religionis Avitae atque Orthodoxae tenaciſſimus Sanctiſſima eius Praecepta et proſequeris ſedulo, et ab aliis ſarcta tecta ſervari pro viribus adniteris; quid ergo dubitem quin non aequi bonique velis conſulere operi quod Pietatem undique redolet ac Religionem, et cui decorando TUUM nomen lubens praefigo? Accipe igitur, macte virtute Iuvenis, hoc qualecumque munuſculum, meae quidem erga

ga TE venerationis indicium, insigne vero monumentum Benignitatis erga me TUAE et Favoris quo me prosequi ex animo non dedignaris Optimi PATRUI TUI MAGNI, Amplissimi PARENTIS, atque Illustrissimi FRATRIS insistens vestigiis, qui omnes me peculiaribus, iisque maximis beneficiis semper sibi devinctum voluerunt. Vale interim, Vir Nobilissime, TEQUE Deus Opt. Max. diu incolumem felicitati

tem-

temporum, Patriae amo-
ri, decori atque incremen-
to Familiae servet.

Dab. Florentiae

Kal. Iun. MDCCLXXXXIII.

AEQUO HUMANOQUE

LECTORI SUO

FRANCISCUS FONTANI

εὐχαίρειν καὶ εὔπρατλειν.

EN tertium tandem meorum Anecdotorum Volumen, Amice Lector, pretioſis ſane ac venerandis Eccleſiaſticae Antiquitatis coagmentatum, et compactum monumentis, quae primum in lucem prodeunt, ab interitu forte per me vindicata. Iam erat in votis Graeca nonnulla, et quidem optimae frugis plena, Tibi in praeſentia exhibere, Graecam videlicet Sanctorum Patrum Catenam, ut aiunt, in Prophetam Daniel; verum cum manus eae Latio donandae admoviſſem, non unc illam contine-

ri posse volumine persensi, multa enim idemtidem animadvertenda mihi obvenere tum in Danielis textu expendendo, cumque aliis Codicibus vetustissimis Hebraicis et Graecis conferendo, tum in Commentariis ipsis, quibus Catena constat, peropportunis necessariisque animadversionibus illustrandis. Eo etiam alacriut rem arripiendam animus suadebat quo erat mihi magis exploratum Catenam ipsam nusquam innotuisse nec Fabricio, nec Caveo, neque Oudino, aliisve; sed ne longius opus aggrederer nunc temporis me vetabat cura, dataque jam fides integri contexendi Catalogi Manuscriptorum omnium qui in ditissima Riccardiana Bibliotheca servantur. Ea me usque adeo distinuit, et adhuc distinet, ut vix in subcisivis horis otii mihi tantum tribuatur, quanto opus est propriis obeundis muneribus, vitaeque ducendae, quin valeam Litterariae Reipublicae pro viribus prodesse, atque uti fert animus

mus in maioris momenti opera incumbere. Brevi tamen Catalogus absolvetur, atque ea de re ipse mihi constitui praedictam in Danielem Catenam, Deo Optimo Maximo opitulante insequentibus duobus, quarto videlicet et quinto horum Anecdotorum voluminibus devovere, et quantocius potero datam fidem liberare contendam.

Verum dum meo commodo, temporique consului, non Tuae tamen utilitati defui, credo, Amice Lector; quae nam in praesens obfero partim S. Augustini Hipponensis Episcopi sunt, partim Remigii Autissiodorensis Monachi, nec poterunt quin a Te maxime probentur vel si auctores ipsos respicias, vel si illorum Opera, certe linienda cedro, et servanda cupresso, consideres. Et re quidem vera quid dignius Augustini nomine, quid eius Operibus sanctius, utiliusve, quid Ecclesiae Catholicae optabilius quam eius doctri-

na, et ſapientiae fulgore in dies magis magiſque coruſcare?

Primum itaque Tibi occurret pag. 3. *Auguſtini* Liber de Oratione *quem ex Codice* II. *Plutei* XII. *Bibliothecae Mediceo-Laurentianae ſcripto eleganter in Membranis ineunte Seculo* XV. *deprompſi, contulique cum altero pariter membranaceo Seculi* XIII. *quondam Bibliothecae Minorum Sanctae Crucis, nunc* IV. *Plutei* XVIII. *eiuſdem Med.-Laur., quique idem videtur eſſe ac qui extat in Cod.* LXVIII. *Bibliothecae Venetae, ut ex eius Catalogo eruitur pag.* 43., *ibidem pariter S. Auguſtino, uti in noſtris, tributus.*

Pagina 44. *habes eiuſdem S. Doctoris Librum* de Quatuor Virtutibus Charitatis *excriptum ex Codice* XI. *membraneo Plutei* XXI. *seculo itidem* XV. *scripto, conlatumque cum altero Plutei* XXIII. N. XIV. *seculo, ut videtur,* XIII. *exarato, cuius ope prioris Calligraphi nonnulla errata*

emen-

emendare valui, atque implere lacunam.

Pagina 61. *Tibi exhibet homiliam* in iv. Dominicam de Adventu *habitam ab Auguſtino ad populum, eamque ex vetuſto Homiliario ineunte ſeculo* xii. *conſcripto, ſervatoque in eadem Bibliotheca Codice* i. *Plutei* xiv. *deſcripſi.*

Pagina denique 68. *occurrit eiuſdem S. Patris ſermo* in Circumciſione Domini, *in quo praecipua de bono unitatis Eccleſiae profert, quemque ex Homiliario* iii. *Riccardianae Bibliothecae, ineunte ſeculo* xi. *a peritiſſimo librario ſcripto depromſi. Haec interim ſunt D. Auguſtini opuscula quae in vulgus prodire iubeo, alia etiam forte in poſterum Tibi exhibiturus.*

Erunt ſane, puto, qui me in ius vocabunt, diemque mihi dicent apud κριτικώτατους *nonnullos, quibus plurimi improbique per Maurinos Monachos exantlati labores in colligendis undique S. Auguſtini operibus, ſinceriſque*

a nothis diſcernendis, adeo in omnibus adrident, ut contendant fruſtra penitus operam illum perdere & diem, qui inventis iam tentet aliquid addere, quaſi ii Herculeas iam columnas attigerint. Lubens profecto, ultroque fateor Maurinos Monachos in S. Auguſtini, Aliorumque Eccleſiae SS. Patrum operibus ornandis, revocandiſque ad ſeverioris Criticae trutinam deſudaſſe multum, primaſque ommino inter doctos tuliſſe merito, et omni procul dubio ſtrenue ſibi devinxiſſe Eccleſiam, et Litterariam Rempublicam; verum quis neget permultos codices illorum diligentiam fugiſſe, nec pauca hinc inde adhuc deliteſcentia in Bibliothecarum forulis inveniri poſſe, quae collectionem antiquorum Patrum augeant, ac locupletent? Cuique compertum eſt quot labores pertulerit, quot Bibliothecas luſtraverit, quae quantaque itinera ſuſceperit ὁ ἐν μαχαρίτοις *Bernardus de Montfaucon ut omnibus perfectam*

nume-

numeris, abſolutiſſimamque daret operum omnium S. Ioannis Chriſoſtomi editionem; verum permulta, quod humanum eſt, nolens praeteriit, et ne quid dicam de nonnullis homiliis, prae ceteris eius acumen fugit S. Doctoris Commentarium in Iob, opus maximi quidem momenti, et cui edendo ſedulus incumbo, illud enim ex Codice XIII. *Plutei* IX. *Medic-Laurent. exarato Seculo* X. *exſcripſi, paratumque praelo cum latina mea interpretatione, atque animadverſionibus penes me ſervo. Ne alimde tamen, ſed ex ipſa S. Auguſtini Operum collectione adhuc augenda exempla opportune ſatis mutuem, Ballerini Fratres jam inde ab anno* 1753. *in Praefatione Operum S. Leonis Pa-*† *pae profitentur ſe in adverſariis habere* viginti et amplius genuinos Sermones S. Doctoris, *edendos aliquando in Anecdotis Miſcellaneis; proximeque tranſacto anno* 1792. *Cel. Michael Denis qui eſt a Caeſaris Con-*

† P. LXIV.

 ſiliis

ſiliis, atque a Bibliotheca Viennenſi, et cui Litteraria Reſpublica plurimum debet ob opera quae jam lubente Minerva edidit, quaeque ſecundis ominibus molitur adhuc, publici juris fecit viginti quinque Sermones ex Vindoboneſi Codice erutos; qua de re nullus dubito quin ex antiquis Codicibus, et vetuſtiſſimis praecipue Homiliariis hinc inde etiam alii poſſint in dies erui, ut integrum quandoque S. Auguſtini Operum omnium corpus utraque ulna valeamus amplecti.

Mihi certe nihil antiquius, jucundius nihil, quam pro viribus ſymbolam tantae rei ſtudere conferre, atque idcirco eo alacrius quatuor ſupradicta Opuſcula edere mecum ipſe conſtitui, quo diligentius tum Stylum Auctoris contuleram, tum S. Poſſidii Calamenſis Epiſcopi Indiculum librorum, Tractatuum etc. S. Auguſtini *inſpexeram, ſemperque reppereram ea ipſa adhuc deſiderari, nec a Maurinis umquam detecta fuiſſe. Et re quidem ve-*

ra:

ra: De Oratione Dominica *librum*, De Charitate tractatus duos, et *unum* De bonitate unitatis Ecclesiae *conscripsisse S. Augustinum*, *auctor est Possidius*, *quid ergo dubitem acu non tetigisse rem*, *cum indices nec parvi momenti iis quae profero omnino sibi respondeant? Penes doctos tamen et peritiores de iis judicium esto*, *mihique satis sit protulisse in vulgus quae Augustinum*, *mea quidem Sententia. sapiunt*, *neque a cordatis viris*, *puto*, *improbabuntur*.

Quod ad alia vero, *quae in hoc ipso volumine continentur*, *duodecim scilicet Homilias Remigii Autissiodorensis*, *noveris oportet me eas excerpsisse ex pervetustis Homiliariis Riccardiano videlicet secundo*, *et Medic-Laurentiano Cod. I. Plutei XIV.*, *quorum alter seculo videtur Scriptus XI.*, *alter ineunte XII.*, *adeo ut primas novem priori debeas*, *ac tres quae supersunt posteriori. In utroque Remigius noster nunc Episcopi*, *nunc*

Archiepiſcopi nomine inſignitur et Sancti, male tamen utrumque, librarii enim ſaepe ſaepius, ut quiſque compertum habere poterit, nominibus abuſi ſunt ſive oſcitantiae, ſive ignorantiae cauſa, atque exinde inter criticos obortae quaeſtiones ſunt, de iis praecipue qui ὁμωνυμία quadam facile confundi poterant. Idipſum igitur eveniſſe de Remigio Autiſſiodorenſi, cuius opera nunc Remenſi Epiſcopo, nunc Lugdunenſi, atque aliis tributa fuere, nullus ambigo, atque ea de cauſa operae pretium fore duxi Diatribam de Claris Remigiis, eorumque ſcriptis contexere, ut quae varios huiuſce nominis Viros, quae eorum opera, ſi qua ſuperſunt, et geſta ſpectant melius dignoſcerentur, et ſic mihi latior pateret via ad veritatem patefaciendam, et ſua cuique tribuenda. Iuverit interim hic innuiſſe Homilias ipſas quas profero non tantum penitus haerere ſtylo, ſcribendique rationi prorſus reſpondere, qua

in

in aliis operibus uſus eſt Remigius Monachus, cui uni idcirco inſcribendas eſſe autumavi, ſed cum contulerim eas cum illius Commentario in Matthaeum, ſatis quidem prolixo, et ut ferebant tempora, ſanctorum Patrum ut plurimum ſcitis ſententiiſque compacto, noverimque illas eſſe veluti quaſdam eiuſdem commentarii apocopas, omnem ſublatam ambiguitatem comperii, et quamvis litem profecto ſolutam. Bernardus Pezius monuerat jam in suo Bojoarico itinere *Commentarium illud, de quo etiam loquitur* Diſſert. Isagogica ad Tom. I. Thesauri Novi Anecdotorum pag. 23. *extare in Monacenſi Bibliotheca, nec non in Vindobonenſi, teſte Poſſevino* Apparat. Tom. II. pag. 320., *atque Auctor Anonymus Opuſculi* de Traditione Eccleſiae Autiſſiodorenſis circa Quesnellianas Propoſitiones *Venetiis itidem haberi, ſeque ibidem vidiſſe confirmarat; verum cum Florentiae pariter idipſum habeatur*

in

in Codice XXII. *Plutei* XX. *membranaceo pene quadrato, exaratoque, ut patet, Seculo* XI *ineunte Mediceo-Laurentianae Bibliothecae, atque ex eo quondam exscripserim prolegomena ipsa eiusdem Commentarii, non absve fore putavi ea hic Tibi, veluti Mantissae loco, proponere legenda ne quid habeas quod a me desideres. Ea itaque sunt eiusmodi.*

In nomine Sanctae Trinitatis incipit expositio
EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.

ADmonendi sumus ut spiritale opus spirituali intentione adgrediamur, nam quicumque spiritale opus spirituali intentione non adgreditur, fructus sui laboris privatur; unde scriptum est: *vhae peccatori duabus viis ingredienti.* Peccator duabus viis ingreditur, quando aliquis bonum opus duplici intentione facere conatur. Et item: *ne induas vestem lana linoque contextam*. Matthaeus Publicanus cognomine *Levi* hebraeus ex hebraeis sicut in ordine primus ponitur, ita pri-

primus hebraeo Sermone descripsit Evangelium. Marcus Isdraelita discipulus Petri sicut in secundo loco habetur, ita secundus descripsit Evangelium. Lucas Antiochensis, natione Syrus, artis medicinae peritissimus sicut in tertio loco ponitur, ita tertio loco descripsit Evangelium. Ioannes vero Domini dilectus Discipulus, sicut in ordine ultimus habetur, ita post omnes Evangelistas descripsit Evangelium. Nunc de intentione videndum est. Matthaeus descensurus ab Iudaea in Assyrios, sive in Ethiopiam scripsit Evangelium propter Iudaeos qui crediderunt in Dominum Iesum ut haberent in quo se exercerent, et legendo recolerent dicta vel gesta Domini ne oblivioni traderent, sive maxime ob salutem illorum qui crediderunt in Dominum Iesum, ne timerent recedere a carnali observatione legis, unde et Evangelium suum diversis testimoniis veteris Testamenti confirmare studuit, unde illi viderent ea quae dicta vel gesta fuerant in veteri Testamento completa esse in gratia Evangelii, et

minus timerent recedere a carnali observatione legis. Marcus vero secutus Beatum Petrum Apostolum Romae, quo praedicante, multi, qui venientes ad Marcum rogaverunt eum suppliciter ut scriberet eis Evangelium quod Magister suus praedicabat, nam tantum studium ardoris fidei flagrabat in eis, ut non sufficeret illis solus auditus, sed ea quae audiebant scripta habere optabant, ut domi forisque haberent in quo meditarentur. Qui prius renuit, sed postea multis eorum precibus compulsus coepit describere nesciente magistro. Postquam vero completum est opus, per Spiritum Sanctum revelatum est Petro, et jussit afferri opus: adlatum legit, et comprobavit fidem et veritatem dictorum, et confirmavit, cunctisque Ecclesiis legendum tradidit, et pariter cum eo perrexit in Aegyptum, qui veniens Alexandriam praedicavit ibi primo verbum Domini, et multi crediderunt in Dominum Iesum; et aedificavit ibi Ecclesiam Alexandrinam quam suo exemplo provoca-

vocavit ad imitationem primitivae Ecclesiae ; unde Philo disertissimus Iudaeorum multa scripsit in laudem ipsius Ecclesiae , sicut Lucas scripsit Actus Apostolorum in laudem primitivae Ecclesiae . Qui quamvis dextrum Pollicem sibi amputasset ne fieret Episcopus, tamen Beatus Petrus intelligens intentionem illius, et ardorem fidei eius noscens , multisque aliorum precibus rogatus consecravit eum Episcopum . Lucae vero ipsa fuit intentio , quam ipse manifestat in exordio Evangelii sui cum ait: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum quae in nobis completae sunt*. Cum dicit multi conati sunt , ostendit quia multi coeperunt non Spiritu Sancto dictante describere , sed proprio conatu , ideoque perficere non meruerunt . Se autem Lucas ostendit Spiritu Sancto dictante coepisse scribere , ideoque perfecit , sive ideo scripsit ne libera facultas daretur haereticis scribendi falsa cum ipse scripserit vera . Ioannes vero post adscensionem Domini per multa annorum

rum curricula, idest per annos circiter sexaginta et quinque praedicavit Evangelium absque ullo adminiculo scripturae, qui ob insuperabilem Evangelii praedicationem religatus est exilio in Pathmos insula a Domitiano impiissimo Imperatore, ubi quanto humano solatio est destitutus, tanto crebra divina visitatione, et adlocutione sublevari meruit. In quo loco etiam Apocalypsim de statu praesentis, et futurae Ecclesiae vidit, et propria manu descripsit. Post eius abscessum irruperunt lupi in Sanctam Ecclesiam, idest Marcion, Ebion, atque Cerinthus, et ceteri quamplures, quasi in ovilia destituta a pastore, et conati sunt commaculare simplicitatem Sanctae Ecclesiae, quos ipse in Epistola sua Antichristos vocat, quorum alii dicebant Christum non esse verum Deum, sed initium sumpsisse ex Virgine; alii dicebant non veram carnem sumpsisse, sed fantasticum habuisse corpus: sed divinitus factum est ut moreretur ille Domitianus impiissimus, et succederet ei Nerva pi-

issi-

issimus Princeps, qui jussit ut omnes quos ille exilio relegaverat ad propria redirent, inter quos et Beatus Ioannes reversus est. Quem cum audissent Episcopi Asiae Provinciae reversum venerunt ad eum, nec non et multarum aliarum provinciarum Episcopi legatos suos miserunt rogantes suppliciter ut scriberet eis Evangelium, deque aeterna Patris et Filii Divinitate loqueretur, dicentes sese sufficienter habere in tribus Evangelistis de eius humanitate, pauca vero de Divinitate. Qui dixit non aliter se facturum, nisi indicto iejunio omnes in commune Dominum rogarent quatenus digna describere posset. Illis itaque ieiunantibus ipse inebriatus est gratia Sancti Spiritus, et transcendit naturam, et nebulam qua tegitur omnis terra, omnesque aereos campos, et ipsam naturam Angelorum, viditque Filium in sinu Patris, et de coaeterna ipsius cum Patre Divinitate exorsus est describere Evangelium dicens: *In principio erat Verbum*: in quo principio omnes tenebras haereticorum fugavit.

Nunc

Nunc de officio quaerendum est : Matthaeus Publicanus, et Teleonarius fuit, sicut ipse in alio loco manifestat cum ait : *Praeteriens Dominus Iesus vidit hominem sedentem ad Teloneum Matthaeum nomine*. Telon enim graece, latine lucrum dicitur. Publicanus dictus est, quia publica vectigalia exigebat, sive quia publicis negotiis terrena lucra sibi accumulabat. Et hoc divinitus actum est quod prius fuisset publicanus, ut qui prius publica vectigalia exigebat, postmodum exigeret coelestia, et qui prius erat alienarum rerum raptor, postea fieret coelestium mysteriorum distributor. Marcus ex genere sacerdotali fuit, ex illis videlicet de quibus legitur in Actibus Apostolorum : *Et multa turba Sacerdotum obediebat Verbo Fidei*. Et hoc divinitus procuratum est, ut prius extitisset Sacerdos carnalis, quia futurum erat ut esset spiritualis ; et qui prius carnalia sacrificia offerebat Deo, postmodum illi obferret spirituales hostias. Lucas Medicus fuit carnalis, et hoc etiam

divi-

divinitus provisum est ut qui prius aegris corporibus antidota carnalia adhibebat, postmodum aegris mentibus spiritalia adhiberet; nam quotquot salutaria monita in eius dictis repperimus, quasi tot antidota spiritalia ab ipso accepimus. Ioannes ante piscator fuit; et hoc quippe divinitus procuratum est, ut qui prius rete corporali de profundo pelagi pisces trahebat, postmodum rete spirituali, idest rete sanctae praedicationis traheret homines de profundo infedelitatis ad lucem fidei. Deinde de interpretatione nominum videndum est. Matthaeus interpretatur Donatus, et bene donatus quia dono Dei actum est ut de publicano fieret discipulus, et de raptore praedicator. In quo facto monetur unusquisque ut nullus de pondere peccatorum suorum diffidat veniam posse consequi, dum videt istum de publicano factum discipulum, et non qualemcumque discipulum, sed Apostolum, et non solum Apostolum, sed Evangelistam, et primum inter Evangelistas. Mar-

eus interpetratur excelsus mandato, sive in quo est mandatum. Et bene excelsus mandato, quia de excelso Filio Dei mandatum protulit dicens: *Initium Evangelii &c.* Lucas interpretatur ipse consurgens, sive elevans; et pulchre consurgens quia consurrexit de infidelitate ad fidem, de imis ad superiora, de vitiis ad virtutes. Et bene ipse elevans interpretatur, quia divina gratia sublevatus est ut describeret Evangelium. Ioannes interpretatur Dei gratia, sive in quo est Dei gratia, quia prae omnibus dilectus est a Domino, non ipse, exceptis omnibus, solus, sed prae omnibus unus in quo est gratia, quia tanta gratia in illo abundavit, ut prae omnibus mortalibus Divinitatis mysteria et comprehendere, et describere meruisset. Praeterea dicit Apostolus: *Lex umbra fuit futurorum*. Et item: *omnia in figura contingebant illis*. Si lex umbra fuit futurorum, et omnia in figura contingebant illis, ergo omnia nova a veteribus habent testimonium, et si omnia nova, ergo et Sanctum

Evan-

Evangelium. Quid enim fuit vetus Testamentum, nisi figura novi, et quid est novum nisi impletio veteris? Omnia enim quaecumque in illo praedicta sunt, in isto completa sunt. Nam quod solummodo quatuor Evangelistae descripturi essent Evangelium, longe ante praefiguratum fuit factis, et praedictum verbis. Hinc est quod legitur in capite quodam Libri Genesis quia eggrediebatur fons de medio Paradisi qui inde dividebatur in quatuor capita. Nomen uni Physon, ipse est qui circuit omnem terram Evilat, ubi nascitur aurum, et aurum terrae illius optimum est, ibique invenitur Bdellum, et lapis Onichinus. Et nomen fluvii secundi Geon, ipse est qui circuit omnem terram Ethiopiae. Nomen vero fluminis tertii Tygris, ipse vadit contra Assytios; Flumen autem quartum est Euphrates. Per Paradisum sancta intelligitur Ecclesia: Fons Christus est qui irrigat totam superficem paradisi, idest dono Sancti Spiritus irrigat corda fidelium, qui et divisus est in quatuor flumina, quia

dono Sancti Spiritus replevit quatuor Evangelistas, qui sua doctrina repleverunt mundum. Tygris Matthaeo congruit qui contra Assyrios ad abluenda corpora polluta decurrit, quibus Matthaeus ad abluenda corda praedicat. Marcus Geon quia fortis est in cursu. Sic Marcus in principio Leonis similitudinem arripuit dicens: *Vox clamantis in deserto*. Lucae Euphrates, quia velocissimus est in cursu. Sic Lucas lusit in oblivioso Sermone. Physon aptatur Ioanni quando premitur de monte Caucaso et cito se sub Oceanum demergit; sic Ioannes in mare Divinitatis principium sermonis inducit. Praefiguratum fuit hoc et alibi ubi legitur quia jubente Deo factum est Rationale quod ferret summus Sacerdos in pectore quando ingrederetur in Sancta Sanctorum; in quo jussit ut ponerentur duodecim lapides, terni per quatuor angulos inclusi auro. Per duodecim lapides designantur omnes fideles; per hoc quod terni lapides positi sunt per quatuor angulos significatur quia quatuor Evangelistae de-

descripturi erant Evangelium, quorum doctrina fides Sanctae Trinitatis divulgaretur per mundum. Praefiguratum fuit et alibi, ubi legitur quia fecit Salomon mare aeneum, et duodecim boves quibus sustentaretur, quique sic terni positi sunt sub mari quatuor partes mundi respicerent. Mare significat Baptismatis Sacramentum, et per hoc quod terni boves quatuor mundi partes respiciebant significabatur quia quatuor Evangelistae descripturi erant Evangelium, quorum doctrina fides Individuae Trinitatis per orbem divulgaretur. Per hoc vero quod ipsi illud mare sustentabant, significabatur, quia doctrina Sanctorum Evangelistarum confirmandum erat Baptismatis Sacramentum. Alibi etiam figuratum fuit quando Helias jussit quatuor hydrias plenas aqua ter fundi circa altare. Per quatuor hydrias quatuor Evangelistae; per hoc vero quod ter fusae sunt, significabatur fides Sanctae Trinitatis, et sic praefiguratum fuit factis quod verbis praedictum fuerat.

Sicut legitur de Zacharia qui narrat se vidisse quatuor quadrigas egredientes de medio duorum montium. Per quatuor quadrigas quatuor intelliguntur Evangelistae, quibus invectus Deus famam nominis sui dilatavit per totum mundum. Et quod solummodo quatuor descripturi essent Evangelium apertius manifestat Exechiel, et Ioannes qui dicunt se videsse quatuor animalia; ait enim Ezechiel: *Et vidi & ecce in medio eorum similitudo quatuor animalium et vultus eorum, facies hominis, facies Leonis, vituli, & facies aquilae volantis.* Et Ioannes dicit se haec eadem animalia vidisse, et concordat Ezechiel nominibus et vultibus, sed in ordine discrepat, quia Ioannes dicit se primum animal vidisse Leonem. Ezechiel vero perhibet primum vidisse hominem. Doctores enim Graecorum per hominem intelligunt Matthaeum, qui genealogiam Domini secundum carnem descripsit. Per Leonem vero Ioannem, quia sicut Leo suo rugitu cunctis bestiis timorem incutit, sic et Ioannes cunctis

hae-

haereticis terrorem incussit dicendo: *In principio erat Verbum*. Per vitulum intellexerunt Lucam, quia vitulus Sacerdotalis erat hostia, et ipse semper circa templum et Sacerdotium versatus est cum ait: *fuit in diebus Herodis &c.* Et per Aquilam Marcum intellexerunt, quia Aquila in scripturis Divinis solet significare Spiritum Sanctum. Spiritus vero Sanctus loquutus est per ora prophetarum, et quia ipse a prophetico Testimonio exorsus est scribere Evangelium dicens: *Vox clamantis in deserto*, idcirco dicunt recte per aquilam debere intelligi Marcum. Insuper ipsi Doctores Graecorum faciunt quaestionem dicentes, quare Ioannes se dicit primum animal vidisse Leonem, cum Ezechiel dicat primum animal vidisse hominem, et solvunt eam boc modo: dicunt scilicet quoniam Ezechiel tenuit ordinem rei gestae, Ioannes tenuit ordinem dignitatis, quia ipse de Divinitate descripsit Evangelium, et ideo dicit se primum animal vidisse Leonem, nam Divinitas omnia praecel-

cellit. Ezechiel verò tenuit ordinem rei gestae, quia Matthaeus primus descripsit Evangelium, et ideo perhibet se primum animal vidisse hominem. Beatus vero Hieronymus, nec non et Papa Gregorius, et poene omnes doctores Latinorum per hominem intelligunt Matthaeum, quia genealogiam Domini Secundum carnem desuripsit. Per Leonem Marcum quia sicut leo terribilem vocem in diserto emittit, sic et ille a voce coepit dicens: *Vox clamantis &c.* Per vitulum intellexerunt Lucam, quia vitulus Sacerdotalis erat hostia et ipse semper circa templum ac Sacerdotium versatus est. Et per Aquilam Ioannem, quia sicut Aquila cunctis avibus altius volat, et arrectis oculis solis radios intuetur, sic et beatus Ioannes cunctis altius ascendit, et de Divinitate Evangelium scripsit. Sed si ista quatuor animalia quatuor significant animalia, quid est quod ait Ezechiel: *et facies hominis et Leonis a dextris eorum quatuor, et facies vituli a sinistris eorum quatuor, et facies*

aqui-

aquilae volantis desuper eorum quatuor. Et sciendum quia si haec quatuor animalia quatuor significant Evangelistas ea possunt etiam intelligi in persona Christi; nam ipse Christus homo fuit nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, Leo enim apertis oculis dormire perhibetur, sic et Dominus quamvis somnum mortis coepisset per humanitatem, tamen vigilavit per potentiam Divinitatis, et aquila fuit ad coelos ascendendo. Per dextras et sinistras solent in Scripturis Sacris designari prospera et adversa, ut illud Apostoli *a dextris et sinistris*, idest in prosperis et in adversis, subauditur, estote pugnantes. Et quia de cuius nativitate laetati sunt Angeli, et de cuius Resurrectione laetati sunt Apostoli, recte homo et Leo a dextris eorum esse perhibentur. Et quia de cuius passione ac morte tristati sunt Apostoli, idcirco bene vitulus a sinistris esse perhibetur. Et quia Beatus Ioannes non solum ceteros Evangelistas, sed etiam semetipsum transcendit; idcirco Aquila volans

lans desuper eorum quatuor dicitur esse. Possunt etiam moraliter haec animalia intelligi in unoquoque viro iusto, nam unusquisque vir bouus Christianus homo est rationabiliter vivendo ; vitulus semetipsum mortificando; leo est fortiter contra diabolum dimicando, unde dicit Salomon : *Iustus tamquam leo confidens absque terrore erit*; et item: *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum*; Aquila est terrena despiciendo, et coelestia appetendo. Beatus vero Augustinus dicit: quia Sancti Evangelistae quemdam proprium et specialem ordinem tenuerunt, et quamdam specialem intentionem servaverunt scribendo Evangelium. Et quamvis specialem et proprium ordinem tenuissent, verumtamen unusquisque eorum non quasi ignorans alterius praecedentis descripsit Evangelium, et non quasi ignorata praetermisit quae alter descripsit, et quae recolendo dixit non prius oblivioni tradidit, quia quod Spiritus Sanctus dictavit, hoc unusquisque eorum descripsit, nam eorum

erat

erat praeparare cor, et voluntatem; Domini vero dirigere stilum et intentionem. Et ecce Beatus Matthaeus proprium ordinem in describendo tenuit, quia cum coepisset incarnationem Domini per regiam stirpem et personam describere, in eadem intentione usque ed finem Evangelii sui perseveravit. Nam in principio Evangelii sui narrat Dominum originem duxisse per Reges Iudaeorum dicens: *Liber generationis Iesu Christi &c.* et paulo infra narrat Magos venisse, et Dominum Regem natum quaesivisse, et dicit Herodem turbatum propter Dominum Regem natum. Deinde subiungit parabolam Domini dicentis: *simile est Regnum coelorum homini Regi qui fecit nuptias filio suo*; et circa tempus Passionis narrat eumdem dixisse: *cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, congregabuntur ante eum omnes reges terrae*; et paulo inferius: *Tunc dicet Rex his qui a dextris erunt: Venite benedicti Patris mei &c.* Et circa finem Evangelii sui ait: *data est mihi omnis potestas in*

coelo

coelo et in terra. Rectius ergo per leonem intelligitur Matthaeus quam per hominem, quia Leo rex est bestiarum, et iste regiam stirpem, et personam describere curavit. Marcus vero pedissequus et breviator Matthaei fuit, nam cum solo Ioanne nihil dixit, pauca solus, perpauciora cum solo Luca, et multa, et poene totidem atque eisdem verbis cum solo Matthaeo, aut cum Matthaeo concordante cum ceteris. Rectius ergo per hominem quam per Leonem Marcus intelligitur, quia simpliciter ea describere curavit quae Deus temporaliter in homine gessit; nam ille qui per hominem Matthaeum, et per Leonem Marcum intellexerunt initium tantum Evangelii et non textum totius Evangelii consideraverunt. Lucas pariter quemdam proprium servavit ordinem in suis dictis; coepit enim describere Sacerdotalem stirpem et personam, et in eadem intentione usque ad finem perseveravit. Nam in principio Evangelii sui ait: *Fuit in diebus Haerodis Regis Iudaeae Sacerdos*

nomine Zacharias; deinde ipsum Sacerdotem sistit ad aram et post haec Mariam inducit in domum Sacerdotis; praeterea vero quadragesima die narrat Dominum delatum ad templum cum muneribus et paulo post duodennem doctorum inserit choris in templo. Deinde parentes Domini narrat per omnes annos ascendisse Hierusalem in die solemni Paschae, et finem Evangelii sui ita conclusit dicens: *Ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem, et erant quotidie in templo laudantes Deum, & benedicentes Dominum*. Pulcre ergo per Vitulum Lucas intelligitur, quia vitulus Sacerdotalis erat hostia, et iste semper circa templum et Sacerdotium versatus est. Ioannes vero semper maxime Divinitatem intendit qua filius aequalis est Patri, et eam suo Evangelio commendavit in quantum crederet sufficere posse inter homines, unde bene per Aquilam intelligitur; et quia Matthaeus Regiam stirpem et Personam descripsit, ideo fortasse habuit pedissequum et breviatorem Marcum. Lucas vero quia Sa-

cerdotalem stirpem et Personam descripsit, fortassis idcirco non habuit; et hoc non absque sacramento, quia Regum est non esse absque officio Comitum, dum interim Sacerdotum erat solum intrare in Sancta Sanctorum semel in anno. Ad hunc numerum Sanctorum Evangelistarum praeterea congruit ipse situs mundi, et status temporis. Congruit situs mundi quia quatuor partes eius sunt; congruit et status temporis, quia quatuor sunt tempora per quae volvitur annus, et ideo bene quatuor sunt Evangelistae.

Haec sane erant, Amice Lector, quae me praefari oportebat. Lubens interim accipe quae tuae utilitati consulens optima sane monumenta obfero, ac dum alia expectas, meis pro Tua humanitate laboribus faveas et incoeptis.

DE

DE CLARIS REMIGIIS DIATRIBA.

QUod ex Auctorum δμωνομία plurimae idemtidem, acresque concertationes inter Criticos sint obortae, et quod malo Historiae Litterariae fato errores permulti invaluerint in tribuendis operibus uni potius quam alteri eorum qui per temporum seriem eodem nomine sunt appellati, omnes jam puto noverunt quotquot Scriptorum historiam, antiquorum praesertim, summis etiam labiis degustarunt. Quod itaque in ceteris factum jam novimus, saepius scilicet uni adiudicata fuisse quae sibi jure proprio alter vindicabat, id et in Remigiis evenisse facile quisque arguet; quapropter cum e re nata meum hic esset de Remigio Avtissiodorensi Monacho, eiusque scriptis non-

nonnulla delibare, ipse mihi constituí et de aliis qui eo pariter nomine inclaruere, nonnihil disserere, ea profecto mente ut quae cuiusque sunt opera facilius dignoscantur et tutius, et sua cuique pro viribus vindicentur.

§. I.

Primus igitur qui temporum ordine nobis innotuerit, occurratque laudandus *Remigius* est *Remorum Episcopus* Chlodoveo Francorum Regi apprime carus, quique anno 496. illum cum primoribus Regni sacro Baptismatis lavacro lustravit, atque ea de re Galliarum Apostoli nomine multis inclaruit. Paulo ante medium seculum V. hunc summo loco natum primam vidisse lucem ex parentibus iam aetate provectis, non sine divinis prodigiis, vel Remis, vel in Laudunensi pago, ea enim adhuc sub Iudice lis est, omnes profitentur Rerum Gallicarum scriptores, inter quos sane recensendi sunt Hincmarus, Flodoardus, Sigebertus, Cointius, Robertus, Guillelmus Marlotus, et Sant-Marthanus;

nullus

nullus tamen eorum, quod noverim, natalem eius annum indicavit, ac proinde eius vitae Epochae incertae ut plurimum sunt, vel minus profecto nobis exploratae. Praestat ergo hac in re paululum immorari, ut contendamus utrum quid luminis mutuare possimus ex minus utique dubiis monumentis, quorum fortassis ope certiora de eius aetate sanciamus.

Primum itaque in confesso omnibus est Remigium extremam usque in senectam vitam suam protraxisse, et nonagesimo sexto suae aetatis anno quod mortale erat in terris reliquisse die decima tertia Ianuarii. Id, prae ceteris quos supra memoravi, testantur etiam Fortunatus Pictaviensis, ac Turonensis Gregorius; inquirendum tamen quo Aerae Christianae anno, nam penes illos vel de eo altum silentium, vel discordes sententiae sunt, quibus fit ut certi nihil, nihil recti vix ac ne vix quidem statuatur. Ratum praeterea nobis secundo est habendum quod Flavius Remigii nostri successor post Romanum anno 535.

Ar-

Arverniensis Synodi canones sua auctoritate et subscriptione roboravit, uti ex ipsius Actis Concilii patet; ergo ante annum 535. diem supremum obiisse stuendum est, et forte ipso anno 533., quemadmodum non infirmis rationum momentis fretus Cointius autumavit. Si igitur is ex hac vita cessit Anno Chr. 533. senio confectus, et nonagesimo sexto suae aetatis, profecto annus eius natalis non potest quin fuerit anno 437. vel 438., id quod a vero minus abludere putandum est. Accedit quod Remigius ipse Anno 523. expostulatoriam scribit epistolam de contumelioso responso ad Heraclium, Leonem, et Theodosium Coepiscopos, atque in ea se jam quinquaginta tribus annis Remensi suae Ecclesiae praefuisse fatetur dicens: *Sed Vos aetati meae, si non meritis, decuerat detulisse, quod propitia Divinitate sit dictum, quinquaginta et tribus annis Episcopali Sedi praesideo, et me appellavit tam provaciter nemo*; Sexaginta ergo et tribus annis is Episcopale munus obivit,

non

non Septuaginta quatuor, ut Caveus prae ceteris ab Hincmaro et Flodoardo deceptus videtur innuere, atque ea propter circa annum 470. initium eius Episcopatus est statuendum, cum scilicet Remigius trigesimum tertium suae aetatis annum agebat, non vigesimum secundum, ut veteres supra memorati Scriptores, quibus omnino obsecundat Baronius, nobis obtrudere voluerunt. Absit igitur invidia verbo dum aio minimum fidendum esse τοῖς Hincmari λόγιστμοις, quibus et emunctae naris hominibus fucum fecit decepitque plurimos, ac penes illum ipsum, Flodoardum, et Sigebertum contendo debere esse fidem omnium earum rerum quae ab ipsis nobis occinuntur.

Ad veritatis itaque trutinam iam revocatis praecipuis Epochis vitae Remigii nemo praeterea inficias ierit illum magna sanctitatis fama et eximiae doctrinae viguisse, utrumque enim quam apertissime constat cuique intuenti et mente secum volutanti quae quantaque is fecerit ut undique Religio et altiores radices ageret et latiores pro-

ten-

tenderet. Praetereo sedulam eius curam ut Chlodoveus Fidei Catholicae victas manus daret, praetereo eius operam ut Lanthildes Chlodovei soror ab Ariana haeresi revocata ad verae Ecclesiae gremium rediret; et ne quid dicam de impensissimo eius studio, impigraque sedulitate ut factus forma gregis ex animo omnes Christo lucrifaceret, id quod omnes eius Vitae scriptores aperte satis ostendunt, tantummodo hic innuam illum Chlodoveo auctorem fuisse ut Anno 511. haberetur prima Synodus Aurelianensis, in qua plurima ad mores, ritus, Ecclesiaeque consuetudines probe facientia constituerentur, atque anno 517. eum praefuisse Remensi Concilio in quo de Gothis Arianis undique per Galliam diffusis actum est, non sine magno Religionis incremento. Baronius autumat Aurelianensem conventum habitum fuisse Anno 507. Remensem vero anno 514. male tamen utrumque, nam cum priori interfuerit Cyprianus Burdigalensis Metropolita, atque Sancitis sub-

subscripserit VI. *Idus Iulias Felice V. C. Consule*, et constet quam apertissime Consulatum Felicis incidisse in annum 511., alterum autem cum septimo certe anno post primi absolutionem coactum fuerit, uti patet ex eius actis, nullus hinc ambigendi locus oboritur quin Eminentissimus Auctor hic etiam non cecutierit.

Quod permulta interim magnam redolentia doctrinam S. Antistes scripserit, quodque adhuc ipso vivente plurimi fierent eius opera, tum universa antiquitas, tum illi aetate suppar eruditissimus Sidonius Arvernorum Episcopus ostendunt; verum praeter pauca, quae nobis etiam nunc supersunt, omnia tempus edax invidit, atque infando rerum fato devovit.

1. Teste ipso Sidonio is *Declamationum librum* scripserat tanti adeo faciendum, ut ipse Arvernorum Antistes ex autographo voluerit excribere. Praestat hac de re integram eius epistolam VII. Lib. IX. proferre, datam ad S. Remigium Pontificem, quae est eiusmodi.

Sidonius Domino Papae Remigio salutem.

Quidam ab Arvernis Belgicam petens (persona mihi cognita est causa ignota, nec refert) Postquam Remos advenerat, scribam tuum, sive Bibliopolam, pretio fors fuat officiove demeritum, copiosissimo velis nolis declamationum tuarum Schedio emunxit. Qui redux nobis, atque oppido gloriabundus quippe perceptis tot voluminibus, quidquid detulerat, quamquam mercari paratis, (quod tamen utilius, nec erat iniustum) pro munere ingessit. Curae mihi e vestigio fuit, iisque qui student, cum merito lecturiremus, plurima tenere, cuncta transcribere. Omnium assensu pronuntiatum, pauca nunc posse similia dictari; etenim rarus aut nullus est cui meditaturo par assistat dispositio per causas, positio per litteras, compositio per sillabas. Ad hoc opportunitas in exemplis, fides in testimonis, proprietas in epithetis, urbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in sententiis, flumen in verbis, fulmen in clausulis,

lis. Structura vero fortis et firma, coniunctionumque perfacetarum nexa caesuris insolubilibus, sed nec hinc minus ludrica et laevis, ac modis omnibus erotundata, quaeque lectoris linguam inoffensam decenter expediat, ne salebrosas passa juncturas per cameram palati volutata balbutiat; tota denique liquida prorsus ac ductilis, veluti cum crystallinas crustas, aut onychintinas non impacto digitus ungue perlabitur; quippe si nihil eum rimosis obicibus exceptum tenax fractura remoretur. Quid plura? Non extat ad praesens vivi hominis oratio, quam peritia Tua non sine labore transgredi queat, ac supervadere; unde et prope suspicor, Domine Papa, propter eloquium tuum exundans atque ineffabile (venia sit dicto) te superbire. Sed licet bono fulgeas ut conscientiae, sic dictionis ordinatissimae, nos tibi tamen minime sumus refugiendi, qui bene scripta laudamus, etsi laudanda non scribimus. Quocirca desine in posterum nostra declinare iudicia, quae nihil mordax, nihilque minantur increpatorium. Alioquin si nostram distuleris sterilita-

tem facundis foecundare colloquiis, aucupabimur nundinas involantum, et ultro scrinia tua, conniventibus nobis, ac subornantibus, effractorum manus arguta populabitur, inchoabisque tunc frustra moveri spoliatus furto, si nunc rogatus non moveris officio. Memor nostri esse dignare, Domine Papa.

Dolendum sane quod Declamationes huiusmodi, quarum eloquentiam Sidonius tantopere commendat, perierint, nec quid de ipsis praeter nomen et famam ad nos pervenerit. Non tamen recens jactura haec est habenda, cum neque Hincmaro ipsi, nec Flodoardo eae penitus innotuisse videantur.

2. *Epistolae duae ad Chlodoveum Regem*, quarum prima solatur Principem in obitu Albofledis sororis, quae paulo post susceptum Baptisma ex hac vita migraverat, altera vero, quae parenetica est, Regem ipsum hortatur ut Religioni studeat quam impensissime, atque in omnibus uti Christianum decet se gerat. Habes utramque editam prae ceteris inter

Scri-

Scriptores Historiae Francorum ab Andrea Duchesne collectos. *T. I. pag.* 849.

3. *Epistola ad Heraclium, Leonem, et Theodosium Coepiscopos*, in qua conqueritur se ab illis immerito spretum fuisse in causa Claudii cujusdam Praesbiteri. Edita et haec est ubi supra.

4. *Epistola ad Fulconem Episcopum.* Expostulatoria est de sua ab illo non servata Iurisdictione, atque habetur ibidem.

5. *Epistola ad Hormisdam* summum Pontificem gratulatoriam de eius inauguratione videre est Tom. II. Conciliorum Galliae. Baronius in Annalibus de hac ipsa epistola loquitur, et An. Chr. 514. §. 16. Hrmisdae ipsius responsum ad Remigium profert: in quo tamen cum de Primatu Ecclesiae Remensis per universam Chlodevei Regis Francorum ditionem collato agatur, critici illud inter apocrifa amandandum cotendunt cum Sirmondo, qui certe eius nullam habendam esse rationem asseruit. Nullus praeterea ambigendi locus est quin prorsus

sus commentitia sit etiam historia illa quam Eminentissimus idem auctor narrat de missa a Chlodoveo ad Hormisdam corona aurea cum gemmis suadente nostro Remigio; Chlodoveus enim, si recte supputemus triennio ante quam Hormisdas primam Catholicae Ecclesiae Sedem adierit, e vivis cesserat. Vide Sirmondum et Natalem Alexandrum qui enucleatius rem totam expendunt.

6. *Testamentum* s. Remigii primus protulit Flodoardus *Histor. Ecclesiae Remens. Lib. I. Cap.* 18. ac deinde alii; verum a Criticis omnibus tamquam νοθευόμενον, nec immerito, passim arguitur. Unus Guillelmus Marlotus *Histor Metropolis Remens. Tom. I. Lib. II. Cap.* 11. totus est in eius vindicanda sinceritate non sine ingenii conatu, verum tot tantaque in eo reperiuntur a temporis illius et Ecclesiae moribus aliena, ut vix credi possit ullum inveniri qui frustra vires exerat causa tuendi putidi illius commenti. Adeas quaeso Natalem Alexandrum *Hist. Eccles. Secul. VI. Cap. IV.*

IV. Art. III. qui illud ad Severioris Criticae trutinam revocat, et germanum Remigii opus autumat *Testamentum brevius* quod Hincmarus operi suo de Vita S. Praesulis subiecit, quodque prodiit etiam in *nova disquisitione de Ampulla Remensi* Tom. I. Bibliothecae Labbeanae, nec non in *Annalibus* Cointii *An.* 533. *et seqq.* Oudinus certe utrumque commentitium pronuntiat; nulla tamen in hoc inveniuntur qnae veritati, temporisque rationi repugnent.

7. Sunt qui Remigio nostro tribuant *Epitaphium Chlodovei* quatuordecim versibus exametris constans, inter quos recensendi Aimonius *Lib. I. Cap.* 27. et Baronius *An.* 514. §. 26., Cointius vero a recentiori auctore illud autumat scriptum, quod sane videtur; sed de his penes ipsos historicos fides esto.

De Commentario *in Divi Pauli Epistolas* quem Villalpandus Remensi Episcopo Remigio, falso tamen, adiudicat vide quae nos in Avtissiodo-

rensi

rensi Monacho sumus dicturi, ut illi uni veluti proprium vindicemus.

§. II.

Remigius Bituricensium Episcopus erat in vivis Anno 583., Ado enim Viennensis in Chronico agens de prima Matisconensi Synodo ad Ararim flumen in Burgundia habita jussu Guntramni Regis, huic illum adfuisse, atque in ea Sancitos Canones gratia instaurandae Ecclesiasticae Disciplinae sua auctoritate ac Suffragio roborasse, auctor est hisce verbis: *Post Philippum Evantius vir Sanctus Viennae Episcopus levatus est. Hic cum Sancto Prisco, & Artemio Senonico, & Remigio Bituricensi, & cum aliis Sanctis Episcopis viginti Capitula Ecclesiastica perfecte roboravit, quibus consedit quoque Syagrius Eduensis Episcopus vir summae Sanctitatis.* De anno in quo coacta fuit haec Synodus diversae feruntur Sententiae, permulti enim autumant illam habitam fuisse Kal. November. An. 581. Ado contendit An. 582.

582.; at Carolus Cointius *Annal. Tom. II. pag.* 237. ipsam rectius fortasse ad Annum 583. refert, nosque eius supputationibus victi facile pedibus imus in eius sententiam. Nulla ceterum de hoc Remigio, cuius mors tantummodo nobis innuitur a Gregorio Turonensi *Hist. Francorum Lib. VI.* §. 39., monumenta supersunt quae nobis innotuerint, qua de re illum hic tantum ex instituto nostro claris eius nominis viris accensuisse sat esto.

§. III.

Vix nobis pariter innotesceret *Remigius Rotomagensis Archiepiscopus* ni Lambecius *Lib. II. Biblioth. Caesareae Cap.* 8. ex pervetusto Codice eius vitam protulisset in Lectiones novem partitam, et nisi Ioannes Mabillon in eius opere quod *Vetera Analecta* inscripsit, Acta Archiepiscopòrum Rotomagensium ab Anonymo jamdiu, sedente scilicet Romae Gregorio VII. Summo Pontifice conscripta, publici non fecisset juris. Erat is Caroli Martelli Filius,

nec non proinde Pippini Regis germanus frater, cumque, ut uni Deo vacarer, Ecclesiae se mancipasset, Rotomagensem Archiepiscopalem Sedem adiit circa Annum 753., si Claudio Ruberto *in Gallia Cristiana* fides habenda est; *& quia Divinae & humanae pollebat Philosophiae copiis*, ait illius vitae auctor, eius enim *labia favi mellis, & eructabat populis efficaciter verba salutis*, plurimi idcirco semper ab omnibus factus est. De huiusce S. Praesulis itinere Floriacum usque susceptum ut Carolimanni voluntati obsequeretur, atque inde corpus S. Benedicti auferret, deque portentis ibidem a Deo patratis, vide praeter vitam a Lambecio prolatam, et Rotomagensium Archiepiscoporum Acta penes Mabillonium, *Fragmenta diversorum Scriptorum de Miraculis S. Benedicti* edita a Francisco Du Cange *Tom. III.* inter *Historiae Francorum Scriptores*. Is praeterea ineunte anno 760. cum Authario Duce petere Italiam coactus est iussu Pippini Regis ut Desiderium Longobardorum

Re-

Regem solicitaret erga Paulum Summum Pontificem, de quo vide Baronium et Pagium. Sedulam illum etiam operam navasse ut permultis redditibus, atque ornamentis pretiosis utique, sua instrueretur Ecclesia, luculentissimus sane testis est idem eius vitae scriptor, qui nos demum de illius morte admonet hisce verbis: *Transivit de mundo XVI. Kal. Februarii An. Christi* 771., *Ordinationis vero suae* 17., *& sepultus est in Ecclesia Beatae Dei Genitricis Mariae, ubi multo tempore requievit. Deinde translatum est Sanctum eius corpus ad Urbem suessionicam in Ecclesiam Beati Medardi.*

Nullum nobis superest, quod innotuerit, monumentum de eius sapientiae scriptis, invida enim aetas abripuit et eos *Sermones* quos habuit ad populum, teste eius vitae auctore, et *Epistolas* quas ad Carolummannum aliosque dedit de S. Benedicti corpore a se invento, et de Floriaci patratis prodigiis, uti Francorum Historiae Scriptores abunde memorant.

Re-

§. IV.

Remigius sive ut alii malunt Remedius primum Gregoriani Monasterii in Alsatia *Abbas*, Corepiscopus deinde, ac postremo *Argenotoratensis Antistes* medio seculo Octavo floruit, cum ex Benedictinorum Annalibus constet illum post Agoaldum praefectum fuisse Gregorianae Abbatiae circa annum 754. Ante hoc tempus nihil de illo referunt scriptores, quapropter nec quo is genere ortus sit nec quo loco natus nobis adhuc innotuit, idque tantum novimus Anno 769. vel paulo ante illum Argentoratensem Ecclesam adiisse, eo enim anno Restoinus Abbatis munere fungebatur in Gregoriano Monasterio, isque certe in Remigii locum suffectus est. Si fides habenda est Mabillonio is frater fuit Bodali Comitis, ac proinde abnepos Ducis Adalberti qui a Lothario originem ducebat, quique saepe saepius in Benedictinis Annalibus laudatur. Divitiis illum certe abundasse ex eo

con-

constat praecipue quod Anno 778. Aschaugiense Monasterium, vel si mavis Parthenonem suo aere condidit ad fluvium Ilam, seu Alsam in Alsatia, cui etiam, Guillimanno Auctore, ex testamento contulit *suas possessiones ad honorem Sanctae Mariae, quam crebro dulcissimam Dominam suam appellabat*. Testamentum huiusmodi, eodem Guillimanno teste, *conditum fuit in Urbe Argentina Idibus Martii anno decimo Caroli Regis eique Episcopi quatuor cum aliis testibus subscripserunt*; nullus tamen adhuc, quod noverim, protulit in vulgus, nec de Remigio ipso alia supersunt opera quae memorantur. Constans interim opinio est nostrum Antistitem suam protraxisse vitam usque ad annum 803., tunc enim temporis auctores tum Gallicarum, tum Alemannicarum rerum contendunt Rachionem, seu Rechonem ad Argentoratensem sedem fuisse promotum, et Remigio nostro iam e vivis sublato suffectum.

Remi-

§. V.

Remigius incerti loci *Abbas* laudatur a Mabillonio *Annal. Benedictin. Lib.* XXVIII. §. XVII. De eo altum profecto silentium apud ceteros scriptores, adeo ut nec eius memoria extaret ni illum interfuisse Synodo Noviomensi, in qua actum est de constituendis finibus Diaeceseon inter Wendilmarum Noviomensem, et Rothardum Suessionensem Episcopos, eique subscripsisse novissemus. De hoc Concilio quod habitum fuit Anno 814., deque in eo gestis pacis tutandae causa inter dissidentes Praesules vide Sirmondum.

§. VI.

Remigius Curiae Rhetorum Episcopus ineunte seculo nono floruit, vigesimusque numeratur illius civitatis Antistes a Stumpfio *Chronicor. Lib.* x. *Cap.* 17. Cum circa Annum 813., uti auctor est Ratpertus *Cap.* 5., Wolpha-

pharius Episcopus Remensis jussu Caroli Magni in Rhaetiam venisset compositurus lites quae de Iudiciorum ratione, et Appellationum, ut aiunt, in dies increbrescebant, vix enim tunc temporis inveniri datum erat qui jura nosceret, et veterum placita scitaque mente teneret, Remigium, cuius scientiam pro conditione temporum omnes subspicebant, adiit, rogavitque ut bono Ecclesiae prospiceret *Canonum Collectionem* publici juris faciens, qua constituta atque Caroli Augusti suffragio comprobata, facilius inde quaestiones in Alemannia oborientes quotidie tollerentur. Morem ei gessit Remigius, et brevi Quadraginta novem Canones collegit, nullo tamen habito rerum delectu, falsa etiam pro veris obtrudens, uti videre est penes Goldastum *Rerum German. Tom. II. pag.* 157. *Edit. Francofurti An.* 1606. qui primus huiusmodi collectionem in vulgus protulit. Certe Critici multa in iis arguunt utpote ab impuris, lutulentisque fontibus haustra, nullus tamen dubito quin hoc potius vertendum sit

vitio

vitio temporis quam auctoris, nec mirum proinde si optimus ipse Imperator uti leges sancivit habenda esse ea quae huiusmodi mentiti canones proferebant, etsi ab antiquis Ecclesiae moribus prorsus abhorrerent. Paci tamen studens Augustus rata voluit quae profecto corde minus probabat, quaeque deinceps meliora edoctus repudiavit Reipublicae bono consulens et Ecclesiae. Nulla praeterea alia Remigii supersunt monumenta quae nos de vita et eius gestis certiores faciant, immo cum nos omnino fugiat ipse annus natalis eius, neque compertum habemus quamdiu vixerit, et quo anno supremum diem obierit.

§. VII.

Rrmigius Episcopus Diensis ex una tantum Chartula qua Ionas Eduensis Antistes Anno 858. Ecclesiae suae Canonicis bona nonnulla largitur, et cui Diensis hic noster Praesul subscripsit, nobis innotuit, ceterum prorsus ignotus. Chartam illam habes editam cura

Lucae

Lucae D' Achery *Tom. III Collect. Veterum aliquot Scriptorum pag.* 356.

§. VIII.

Dum seculo Ecclesiae nono Galliae Episcopi et Clerus in contrarias partes discissi inter se digladiarentur: inopportuna enim loquacitas Gotteschalci Orbacensis tunc Monachi primum rixas excitaverat, praeposterum Rhabani Moguntini Praesulis iudicium deinde auxerat, atque Hincmari Remensis Archiepiscopi versutia tandem apertas undique simultates invexerat; non sine divino Numine, et bono Doctrinae de Praedestinatione et Gratia, quam S. Augustinus luculenter satis exposuerat, fato *Remigius Lugdunensis* Pontifex renutiatus est circa annum 852.; quando scilicet eo magis dissociatis animis hominum, quisque pro sua ipsius sententia pugnabat tamquam pro focis et aris. Quo is loco natus, et qua gente fuerit inter scriptores non satis constat, natione tamen Gallus videtur, fuitque Lothario Au-

gusto apprime carus, atque in eius aula Sacri Palatii, ut aiunt, Magister, in quo munere praeclare adeo se gessit, ut tum pietate morum, tum rerum scientia permagni semper habitus sit, et Amuloni Lugdunensi Antistiti ideirco inde suffectus fuerit. An is idem Remigius sit ac qui Notarii nomine Anno 846. Chartam quamdam Donationis a Lothario factae Prumiensi Monasterio *recognovit ad vicem Hilduini*, uti habetur in *Ampliss. Collect. Tom. I. pag.* 114., nec ne, non audeo proferre, cum permulta adhuc de eius gestis desiderentur monumenta. Sciendum interim quod exeunte anno 851., vel ineunte 852. Hincmarus et Pardulus qui Laudunensis Episcopus erat ad Amulonem jam pene aegrotum epistolas dederant ab eo aeque ac ab eius Ecclesia Lugdunensi sententiam rogantes de exortis quaestionibus, et sperantes illum in suas ipsorum partes trahere, una simul miserant Rhabani litteras ad Notthingum, eius scilicet acerrimam criminationem in Gotteschalcum in quem unum praecipue

cipue bellum erat indictum. Omni tamen spe frustrati sunt, Amulo enim supremum diem obiit, et Remigius vix ad Episcopale munus obeundum accessit ut nil antiquius sibi esse duxerit quam rem tantae molis sedula cura expendere, et fallacias omnes dimovere ut cum sua Ecclesia uni tantum veritati litaret. Nulla itaque interjecta mora opus ipse aggressus est scribere, quod omnibus numeris absolutum, et suae Lugdunensis Ecclesiae probatum suffragio, *De Tribus Epistolis* inscripsit, atque in eo propositis septem fidei regulis, omnium primum asseruit quae de Praescientia ac Dei Praedestinatione universa Ecclesia semper docuerat, quatuor inde priores Gotteschalci sententias, etsi durioribus conceptas verbis, uti Catholicas habendas esse censuit, quinctam vero omnino reiciendam pronuntiavit velut haereticam, et a Christiano dogmate abhorrentem. Sensit is tamen non potuisse forte huiusmodi responsione quamvis quaestionem tollere, et quoniam noverat in Gotteschalcum

novas in dies Simultates creari ab iis qui ut suae ipsorum patrocinarentur sententiae nullum non movebant lapidem ut maiorem semper illi crearent invidiam non sine veritatis et Religionis incommodo, manum iterum calamo sibi admovendam esse censuit ea utique mente, ut dilucidius rem aperiret, et quin neutram partem offenderet, universorum paci conciliandae pro viribus studeret. Scripsit itaque, veluti prioris operis mantissam, librum *De Generali per Adam damnatione omnium, et speciali per Christum ex eadem ereptione Electorum*, quo profecto tum sacrarum Litterarum auctoritate, tum sanctorum Patrum scitis rixas omnes videbatur compescuisse, et litem omnem dirimisse.

Hincmarus certe sua jam cadebat causa, atque ut sensit sibi, proprio que nomini non fidendum nunc temporis, prolata jam luculentissima Lugdunensis Ecclesiae sententia a Remigio, cuius morum integritas et sapientia maximi apud omnes fiebat, versutus homo Carolum Regem penes

quem

quem gratia plurimum poterat, adire studuit, opperiens illum ex Urbe Suessionum redeuntem ad Carisiacum Palatium una cum nonnullis suae partis Episcopis et Abbatibus, et facie ad pietatem composita humiliter petiit ut *Quatuor* a se conscripta *Capitula* de Praedestinationis Mysterio subscriberet, quo uno aiebat turbas omnes imposterum sublatas fore, pacemque demum revocatam. Hisce dolis Doctrina Ecclesiae in magnum sane discrimen adducebatur, quapropter ut innotuit Remigio hominem ingenii viribus et Aulae favore praepotentem novas turbas ciere, atque eius callidita-te veritates Fidei obscurari, non sine Ecclesiae suae consilio Librum *De tenenda immobiliter Scripturae Sanctae veritate, et Sanctorum Orthodoxorum Patrum auctoritate fideliter servanda* conscripsit, in quo *Carisiaca* Hincmari *Capitula* expenduntur, ac diserte prorsus refutantur. Aequo animo id non tulit Remensis Antistes, atque ingens opus moliri aggressus erat de Praedestinatione; interim vero Remi-

gii nostri Doctrina, nec non Lugdunensis eius Ecclesiae non solum Anno 855. approbata laudataque fuit in Synodo Valentina III., in qua sex Canones Sanciti sunt contra Carisiaca Capitula, verum etiam in Concilio Lingonensi habito Anno 859; Necolausque Papa huiusce nominis Primus, si Prudentio Trecensi Episcopo in Annalibus habenda fides est, sex praedictorum Canonum doctrinam sartam tectam servandam constituit, adeoque etiam ipsius Remigii opera probavit, Viri nullo studio partium abrepti, quique veritatis simul et pacis sectator Hincmarum ipsum in Tullensi Concilio ad Saponarias allocutus satius duxit suadere quam coarguere, et minus urgere quam manuducere ad Valentinae, Lingonensisque Synodorum doctrinam amplectendam. Praeterea is interfuit quamplurimis aliis Conciliis, veluti Suessionensi habito An. 866., Vermeriensi An. 769., Attiniacensi An. 870., Duziacensi An. 871.. Cabilonensi I. An. 873., et Cabilonensi II. An. 875.. a quo redux, ut

fama

fama est, terrenis vinculis solutus evolavit ad Superos III. Kal. Novembris sui desiderium omnibus bonis relinquens.

An praeter tria Opera quae superius recensuimus, quaeque videre est in Tomo XV. Bibliothecae Patrum, necnon apud Mauguinum in *Collect. Script. de Praedestin. et Gratia Tomo I. part. 2. pag.* 67., ac denuo edita Romae a Petro Francisco Foggínio An. 1771., alia conscripserit Remigius non satis constat. Certe sunt qui illi tribuant Librum exaratum *adversus Ioannis Scoti Erigenae erroneas definitiones*; verum a Floro Magistro, ac Lugdunensis Ecclesiae Diacono illum fuisse conscriptum nullus dubitat, qui permulta eius opera contulit. ac recensuit. Nonnulli etiam illi adiudicant *Commentarium in D. Pauli Epistolas* satis prolixum; sed cum stylum Remigii Avtissiodorensis omnino sapiat, illi uni idcirco tribuendum esse merito autumamus cum Criticis, ut brevi ostendemus.

Eius

Eius tamen sunt *Litterae de Saxiaco Monasterio* condito ab Aureliano Abbate, de quibus vide Mabillonium *Annal. Benedict. Lib. XXXV.* §. 4. 5. *et seqq.*, atque eius profecto esse puto *Epistolam Synodalem* ad Wenilonem Senonum Archiepiscopum in causa Caroli Calvi anno 859. conscriptam; nec non aliam *Synodalem Epistolam* ad Britonum Episcopos qui a Metropolitano suo desciverant, quarum utramque habes editam *Tom. II. Script. Histor. Franc. pag.* 437.

§ IX.

Seculo itidem Ecclesiae nono floruit et maximi habitus est *Remigius* alter, professione *Monachus* S. Germani *Autissiodorensis*, qui tum humanioribus Litteris quibus operam dederat sub Herici disciplina, ut Mabillonius *Annal. Benedict. Lib. XXXV.* §. 36. animadvertit, sum Severioribus, ac Sacris praesertim studiis incumbens, circa annum 880. inclarescere coepit, ac paulo post annum 882.,

quo

quo Fulco Remensis Ecclesiae Archiepiscopalem sedem adiit, Remos evocatus, ibi docendi munus adeptus est. Id loculentissimo Flodoardi testimonio confirmatur, qui *Lib. IV. Hist. Remens. Cap. 9.* rem omnem ita persequitur: *Praefatus denique Praesul Venerabilis Fulco, solicitus circa Dei cultum & ordinem Ecclesiasticum, amore quoque Sapientiae fervens, duas scholas Remis, Canonicorum scilicet loci, atque ruralium Clericorum, jam pene delapsas restituit, & evocato Remigio Autissiodorense Magistro Liberalium Artium studiis adolescentes Clericos exerceri fecit, ipseque cum eis lectioni ac meditationi sapientiae operam dedit. Sed et Hucbaldum S. Harmandi Monachum, virum quoque disciplinis sophicis nobiliter eruditum accersivit, & Ecclesiam Remensem praeclaris illustravit doctrinis.* Quo anno, quove Remigius loco natus sit nobis prorsus incompertum est, atque id unum tantum est in confesso penes omnes Scriptores, illum scilicet semper Monasticam vitam duxisse, adeoque illis

minime habenda fides qui contendunt Episcopatu Remense praefulsisse, cum de eo altum silentium omnino in actis eius Ecclesiae, atque in illius Antistitum serie. Mira verum doctrinae fama celebris floruit, et Trithemius *De Scriptoribus*, et Mabillonius *Annal. Benedict. Lib.* XXXXI. nobis auctores sunt ab eo Parisiis Litterarum studia moderante jam doctum fuisse S. Odonem Cluniacensem Abbatem in Dialectica, nec non Flodoardo teste Seulfum Remensem Antistitem, de quo plura videre est apud Gallicarum rerum Scriptores. Auctor etiam anonymus Vitae B. Ioannis Gorzensis apud Labbeum *Tom. I. Biblioth. Nov.* MSS. *pag.* 744. celebrat Hildeboldum *qui ex Discipulis Domini Remigii, doctissimi ea aetate*, circa annum scilicet, uti animadvertit Bernardus Pezius, DCCCXC., *magistri Scholas in Lotharingia habebat*, ex quo facile cuivis patet maximi semper habitum fuisse merito Remigium, e cuius schola permulti doctrina insignes viri prodiere. Ex eius praeterea epi-

sto-

stola quae habetur in *Collect. Amplissim Tom. I. pag.* 230. comperimus illum accersitum fuisse Virdunum a Dadone eius Civitatis Antistite tum ut Clerum suum doceret, tum ut sibi opis esset in temporum iniquitate: is tamen postulanti amico morem non gessit rescribens: *Longo senio putre corpus, et succedentibus sibimet morbis, membra debilia hoc mihi exoptabile bonum invident*. Ceterum quo ille anno ex hac vita ereptus superas sedes adierit, nullus, quod sciam, nobis adhuc ostendit, et ne quidem ipsum Ecclesiae Avtissiodorensis Necrologium, in quo tantum, ut Pezius innuit, habetur: *Die secunda Mai obiit Remigius Monachus, & egregius Doctor*. Putant vero Critici illum circa annum 900. diem obiisse supremum, nec dubito quin in suo S. Germani Monasterio, ubi jam grandaevus degebat, et unde scripsit epistolam ad Dadonem, de qua nos superius; nam prope finem legitur: *Fratres & Domini mei, vestri fidelissimi & devotissimi Oratores, omnis scilicet B. Germani*

mani Congregatio aeterna vobis praemia exoptant. Sigeberto teste, is non solum *mundana scientia* inclaruit, et *Sacrarum absolutissima Litterarum peritia*, verum et comitate morum, sincerisque virtutibus, quarum ope cuiusque sibi devinxit animum, suique voto semper obstrinxit. De eius interim doctrina pari sociata modestiae indictum non preateribo id quod Bernardus Montfauconius ex coaevo fere codice Monasterii S. Benedicti Padolironensis prope Mutinam in *Diario* suo *Italico cap.* 3. deprehendit a Librario adnotatum, Remigium scilicet, *in omnibus nomen suum tacuisse, ut cum sapientia culmen quoque humilitatis attingeret*; et re quidem vera perquam raro inveniuntur Codices, vetustiores praesertim, in quibus eius nomen appareat. Bernardus Pezius in observationibus *in primam partem T.* IV. *Thesauri anecdotorum Novissimi* refert Eruditum quemdam in Italia virum praelo jam inde ab anno 1722. habuisse parata Remigii nostri *Commentaria in plerosque Divinae Auctori-*

tatis

tatis libros felicitet detecta; opus tamen huiusmodi nusquam prodiit, quo sane certiores facti de eius omnibus operibus, obsoluriorem fortassis eorum syllabum, quam nunc damus, proferre potuissemus.

1. *Commentarius* eius *in Genesim* primum prodiit Augustae Vindelicorum *Tom.* IV. *Thesauri Anecdotorum* Anno 1723. cura Bernardi Pezii Mellicensis Bibliothecarii ex Cod. MS. Monasteri Garstensis in Austria, conlatus cum Cod. pariter MS. Tegernseensi per Adalbertum Diisl, atque huiusmodi opus est, judice Pezio, *grave, succinctum & elegans, omninoque ad eum modum compositum, quem in Commentario Remigii in Psalmos dudum Sixtus Senensis observavit; nempe in quod Remigius ita veterum Patrum sensa transtulerit, ut quaedam etiam de suo adiecerit, idque pro more seculi sui, quo usus antiquorum scriptorum commentaria expilandi late obtinebat.* Hanc scribendi et commentaria sua coagmentandi rationem perpetuam habes

in

in Remigio, id quod semel hic innuisse sat esto.

2 *Commentarius in Psalmos* omnes David ex Ambrosii, Augustini, et Cassiodori Sententiis ut plurimum constans, primum publici juris factus fuit sub Remigii nomine Coloniae Anno 1536., deinde iterum in Lugdunensi Bibliotheca Patrum prodiit Tom. XVI. Non defuere quidem qui opus hoc Manegoldo cuidam Praesbitero, qui, ut Anonymus Mellicensis Cap. 105. testatur, pro Gregorio VII. in Henricum IV. *laboravit usque ad vincula*, adiudicarunt; verum nostri Remigii esse constans est Criticorum opinio, permulta enim in hoc utique Commentario occurrunt quae reperire est in aliis etiam eius operibus, et ratio ipsa, qua Remigius semper usus est in eiusmodi studiis, satis aperte et in hoc elucet omnino.

3. *Expositio in undecim minores Prophetas*, quae primum publici juris facta fuit Antuerpiae Anno 1545. una cum Oecumenio in Apostolum, et Aretha in Apocalysim, ac deinde inserta

serta Tom. XVI. Bibliothecae Patrum Lugdunensis. Haec etiam ut plurimum constat Sanctorum Patrum Sententiis, praecipue vero Hieronymi et Augustini, quorum doctrinam is semper maximi fecit. De utroque hoc Remigii opere altum est silentium penes Sigebertum; Trithemius tamen quam luculentissime ostendit illi uni esse utrumque tribuendum.

4. *Commentarium in Cantica Canticorum* illi pariter adiudicant Sigebertus et Trithemius, quem non recte tamen ineditum putat Dupinius *Tom.* VII. *Novissimae Bibliothecae pag.* 177. cum Haymonis Episcopi Halberstatensis nomine jam prodierit Coloniae Anno 1533. Certe stylus eius Commentarii totum Remigium sapit, atque Oudinus memorat tum Codicem Regium Parisiensem 4186., nec non sextum Bibliothecae Cluniacensis opus illud huic uni nostro prorsus tribuere.

5. De eius *Commentario in Matthaeum*, quem primus omnium detexit Bernardus Pezius, nihil addam iis quae in Praefatione superius dixi, ac

tan-

tantum hic innuam praeterea opus illud utique mereri ut quis in dias luminis auras adducat.

6. *Commentarius in Epistolas D. Pauli* saepius prodiit nunc Remensis Remigii nomine, nunc Lugdunensis, nec non Haymonis; perperam tamen semper, nam Remigio nostro Autissiodorensi omnino vindicandus est. Primus omnium qui opus hoc in vulgus edere studuerit fuit Ioannes Baptista Villalpandus, vir minus emunctae naris, quique exscriptum ex Codice reperto Romae in Monasterio S. Ceciliae trans Tyberim, Romae pariter Anno 1598. typis mandavit, publicique juris fecit nomine Remensis Remigii, falsus ab iis quae in praedicti Codicis calce leguntur ad ignaro Librario adscripta scilicet: *Anno Dominicae Incarnationis* MLXVII. *Indict.* V. *Scriptus est liber iste. Deo Gratias. Remigius Episcopus Remis exposuit Epistolas S. Pauli luculento Sermone*. Facile is tamen novisse poterat Librarii errorem si Remensis Episcopi tempora perpendisset, contulissetque cum iis quae in Commentario

rio ipso habentur; in eo enim laudantur S. Benedictus, S. Gregorius Papa, et Beda Praesbyter, qui Remigii aetati non congruunt, nec semel verba fiunt de Saracenis jam per terras Europae diffusis, ac Sancti Caesarii Arelatensis Episcopi Remigio superstitis vitae testimonium profertur, quibus omnibus perspectis prae ceteris, nulla mora a praeconcepta opinione excidisset. Eo magis vero Collectorum Bibliothecae Patrum Coloniensis admiror oscitantiam, qui illud opus iterum luci mandarunt *Tom V. Part. III.* eiusdem Remensis Remigii nomine, non Avtissiodorensis, ut male prorsus Caveus innuit; ex quo namque Villalpandi Liber innotuit, illico Critici apertissimum eius errorem detexerunt, id quod eos cautiores reddere debuerat. Cum itaque docti homines deprehenderint nullo modo eiusmodi opus tribui posse Remigio Remorum Episcopo, Lugdunensi Antistiti, nec instituto examine, statim adiudicandum censuerunt plurimi, atque eius ideirco nomine iterum prodire jussere *T. VIII.*

pag. 883. Bibliothecae Patrum Lugdunensis, quos sequutus est etiam Doctissimus Usserius, uti Iacobus Le Long. *Biblioth. Sacr.* pag. 923. quam apertissime confirmat, etsi is quoque male, ut opinor, post Caveum, Primasio tribuerit Commentarium in epistolam ad Hebraeos, et Haymoni adiudicaverit Possevinus, eo quia in Codice Cassinensi inscribatur Raimoni.

Pace tamen tantorum virorum nos uni Remigio Avtissiodorensi vindicandum censemus cum Sigeberto, Caveo, Oudino, Bellarmino, aliisque, tum ex styli similitudine, tum ex affectata eius ratione saepe saepius proferendi testimonia Poetarum Horatii, Virgilii, Ovidii, qua prae cereris aliis eius aevi Scriptoribus is unus praecipue semper uti consuevit; et assidua jugique vocabulorum grammaticali interpretatione. Cum constet praeterea Explanationem Canonis Missae esse opus Remigii nostri, quis adhuc ambiget eius itidem non esse Paulinum, ut vocant, commentarium? Certe ipsi adiudicant huiusmodi opus veteres etiam

per-

permulti Codices, de quibus consulas Oudinum, ac si vacat adeas Bibliothecae Med. Laurentianae Catalogum ab Angelo Maria Bandinio editum, ex quo noveris illud Remigii nomine indigitatum haberi Plut. XVI. Cod. II., necnon Plut. XXIV. Codd. I. II. et III., in quo postremo ipsa Auctoris monachi habitu amicta effigies, et coloribus illuminata conspicienda exhibetur.

7. *Commentarium in Apocalypsim* pariter scripsit Remigius Avtissiodorensis eadem penitus ratione qua quos supra memoravimus. Primum hic liber prodiit Parisiis Anno 1521., deinde Coloniae Anno 1529., verum nomine Haymonis, a quo adiudicandum tamen censuit Abbas Lebeuf *Tom.* 1. *Dissert. ad Hist. Galli. Spectant.*, et vindicandum Remigio, atque hac de re singularem Dissertationem promiserat; an is umquam vero datam suam fidem liberarit nec ne, certe mihi haud compertum est. Montfauconius quidem in Diario suo Italico, ubi de Ambrosiana Bibliotheca disserit *Antiquum Remigii in*

Apo-

Apocalypsim Commentarium recenset, et laudat.

8. *Expositionem Canonis Missae* Sanctorum Patrum sententiis et auctoritatibus confirmatam Remigium nostrum conscripsisse Sigebertus, aliique testantur, et Bulaeus *Hist. Academ. Parisiens. Tom.* 1. *pag.* 635. auctor est illum multa in eo opere ex Marco Floro delibasse. Extat illud editum *Tom. XVI. Biblioth. Patrum Maxim. pag.* 883., ac nonnulli idcirco tribuerunt Alcuino, quia quadragesimum eius libri de Divinis Officiis constituit caput. Mabillonius *Lib. XXVII. Annal. Benedict.* §. 31. idipsum innuit quam apertissime, aitque: *Liber de Divinis Officiis farrago est ex ipsius Alcuini aliorumque posteriorum auctorum scriptis, cuius Caput quadragesimum est tractatus Remigii Monachi Autissiodorensis de Expositione Missae.* Dupinius vero sensit Librum ipsum de Divinis Officiis Remigio utique tribuendum esse, minus tamen liquido id constat, ac propterea argumenta eius rei certiora sunt expetenda. Casimirus praeterea

terea Oudimns testatur in Bibliotheca Longipontis Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Suessionensi extare MS. Remigii nostri Librum *De indumentis Ecelesiasticis*, et Homiliam *De Filio Prodigo*, opinaturque librum unum et idem esse cum Expositione Canonis Missae, vel partem quamdam eiusdem operis: expectandum vero donec quis otio abundans illa inter se opera conferat, nosque de iis faciat certiores.

9. *Epistola ad Dadonem Episcopum Virdunensem*, quae prodiit ex MS. Floriciensi cura Edmundi Martene, et Ursini Durand *Tom. I. Veterum Scriptorum et Monumenrorum pag.* 230. In ea Remigius quid praecipue per Gog. et Magog in Ezechiele Propheta intelligendum sit explicat, ac de Hungrorum origine nonnulla persequitur.

10. *Responsionem ad Gualonem Aeduorum Episcopum* interrogantem de duabus quaestionibus, quarum altera *de Altercatione Michaelis Archangeli cum Diabolo* de Moysi corpore; altera de illo Iobi: *Ecce Behemoth &c.*

age-

agebatur, memorat Possevinus, ac post illum permulti; verum eam adhuc in Bibliothecis delitescere anecdotam censeo.

11. *Commentarius in Regulam S. Benedicti* quem reperire facile est in Bibliothecis Manuscriptorum, quemque Montefaucenius in Diario suo Italico memorat se vidisse in pervetusto Codice Bibliothece Monachorum Camaldulensium S. Mariae de Angelis non procul a Mediolano, vulgo tribuitur Remigio nostro a peritioribus criticis.

12. Si Bulaeo in *Hist. Academ. Parisiens.* credimus Remigius scripsit etiam *Librum de Festivitatibus Sanctorum* ad Aeduorum Episcopum, et forte hoc idem opus est ac illud quod memoratur a Sigeberto; nullus tamen adhuc, qui mihi innotuerit, indicavit ubinam huiusmodi liber servetur, et an etiam num supersit.

13. *Interpretatio Nominum Hebraicorum* quae in Sacris Litteris occurrunt, ordine Alphabetico digesta, non Bedae cui tributa est, et inter cuius opera invenitur *Tom.* III., sed Remigio vin-

videtur vindicanda, teste Oudino, ex vetustiorum manuscriptorum fide, cuius sententiam tutatur etiam Mericus Casaubonus ad Optatum pagina 49.

14. *Sermones* quamplurimi occurrunt in Lectionariis, et Homiliariis nomine S. Remigii ut plurimum indigitati, sed Monacho nostro utique adiudicandi, quemadmodum melioris notae Critici contendunt. Theodoricus Ruinart in Itinere Alsatico et Lotharingico *T. III. Operum Posth.* Mabillonii et Ruinart testatur se *triginta Sermones* vidisse in Lectionario Monasterii Medianensis ante septingentos annos scripto, et ex iis jam excerpsisse nonnulla ad Eucharistiae Sacramentum spectantia Hyacinthum Alliot. Ioannes Dominicus Mansius in sua Fabricianae Bibliothecae, *Med. & Infim. Latinit.* editione Tom. IV. pag. 66. enumerat *octo Homilias* Remigii quae habentur in Homiliario quodam MS. Bibliothecae Canonicor. Majoris Ecclesiae Lucensis Seculo XII. exarato; novem ex Homiliario Riccar-

cardiano, tres ex Med. Laurentiano excriptas primus nunc in lucem ego profero; hos tamen omnes Sermones vel Homilias autumo apocopas quasdam esse eorum commentariorum, quos Remigius noster adornaverat.

15. Librum *de Ratione gubernandae Ecclesiae* scripsisse Remigium, auctor est Eisengreinius apud Possevinum; nihil tamen de eo novimus praeter titulum, et an adhuc in Bibliothecae alicuius feculis delitescat nobis est incompertum.

16. Dupinius *Tom.* VII. *Novissim. Biblioth.* pag. 177. ex Sigeberti Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis Cap.* 123. Remigio nostro tribuit opus *De Divinis Officiis* quod inter Alcuini scripta reperitur. Integrum tamen ei vindicare nemo unquam, meo quidem judicio, contendet, constat enim quam luculenter quaestionem de Natalitiis Sanctorum capiti decimo octavo eius operis adnexam, omnino adiudicandam esse Elprico, seu mavis Erprico Monacho, qui Trithemio teste circa annum 1040. floruit.

17.

17. *Remigii Grammaticalia* prodierunt Coloniae Anno 1500. in folio Teste Maittairio *T. I. Annal. Typograph.*, eaque sunt partes quaedam *Commentariorum illius in Marcianum Capellam, Donatum, & Priscianum*, qui Manuscripti atque inediti etiam nunc in Bibliothecis servantur. Florentiae hic in Med. Laurent. *Plut.* 90. *Codice* 19. scripto Seculo x. occurrit Commentarius in novem Marciani Capellae libros per integrum, ut alios in Donatum et Priscianum praeteream, de quibus vide Casimirum Oudinum, indicem Bernardi Montfauconii, Fabricium *Biblioth. Latin. T.* II. pag. 141., et Bernardum Pezium *T.* III. P. III. pag. 600. *Thesauri Anecdotorum*. Hic tamen non praetereundum male a Fabricio tributum esse Remigio *Commentarium in Librum Iudicum*, quem Bernardus Pezius primus in lucem protulit *T.* IV. *part.* I. sui Anecdotorum thesauri Irimberti Admontensis Abbatis nomine, id quod nec Mansius ipse animadvertit, qui prioris Fabricianae editionis errorem nolens, credo, est sequutus.

§. X.

Remigius II. *Lugdunensis Praesul* nobis tantummodo innotuit ex eius subscriptione adposita Testamento Hervei Aeduorum Episcopi, condito IX. Kal. Maii, indictione septima Anno 919. Huiusmodi Testamentum, quo Herveus legat Cathedrali S. Nazarii Ecclesiae permulta sua bona, videre est in *Spicilegio* Mabillonii *Tom.* VIII. *pag.* 151. De hoc Remigio nihil reperitur apud Scriptores Francicos: puto tamen illum primum Monasticam vitam professum esse antequam Lugdunensem Ecclesiam adiret, et inquirendum aliis relinquo eius vitae certiores epochas et gesta.

§. XI.

Ex Gerberti primum Remorum Antistitis, deinde Archiepiscopi Ravennatum, et tandem Romani Pontificis, nomine Silvestri II. nobis comperti, epistolis, innotescit *Remigius* quidam *Trevirensis Monachus*, cuius doctrina saepius laudatur, et acre ingenium. Is non solum

lum humanioribus litteris sedulam operam dederat, verum etiam philosophiae, at dolendum sane quod nulla de eo supersint monumenta, quibus nos doctiores facti, illum scriptoribus seculi x. accenseamus. Plura is scripserat adGerbertum ipsum, tunc temporis Floriacensem Monachum, sed has quoque epistolas a nobis invida aetas sustulit, adeo ut nihil aliud de eo compertum habeamus nisi quod Treviris monachi vitam duxerit cum laude, atque jam forte e vivis cesserat ante annum 999., quo videlicet tempore Gerbertus Romanam sedem adiit. Adesis Mabillonii *Annal. Benedict. lib.* XLVII § LI. ubi de Gerberti praecipuis amicis disseritur. Possevinus *Tom.* II. *Apparatus*, et Fabricius in *Bibliotheca* videntur ei multa tribuere quae adiudicanda sunt uni Remigio Avtissiodorensi, quaeque nos supra retulimus in eius operum recensione.

§. XII.

Remigius Abbas Mediolanensis tum pietate morum, tum Humanarum, divi-

divinarumque rerum scientia percelebris floruit medio Seculo x., maximique habitus fuit a Gerberto, in cuius epistolis non semel laudatur. Nonnulli, inter quos Possevinus, atque ex eo Fabricius, aliique, male tamen, cum Remigio Trevirensi Monacho nostrum hunc confundunt ea praecipue, puto, de causa quod uterque Gerberti fuerit amicus; ambo verum in eius epistolis distinguntur satis aperte, ut nemo nisi volens et imprudens valeat coecutire. An de eius sapientiae scriptis adhuc quid supersit nobis omnino incompertum est, quemadmodum etiam minime adhuc novimus quo is ortus fuerit anno, et quo obierit, cum temporum illorum monumenta, malo historiae fato, pene omnia perierint.

§. XIII.

Remigius Floriacensis primum Monachus, deinde circa annum 1000. Cellae regulae in Wasconia Praepositus, ut Mabillonius *Annal. Benedict. Lib.* LI. §. VIII. testatur, datus fuit comes itineris Bernardo Abbati Belli-

lo-

locensi Romam usque et ad Garganum montem contendenti, refugientique Bellilocensium Monachorum pravos mores videre, quos probare non poterat. Eiusmodi iter susceptum fuit Anno 995.; illud puto tamen minime absolutum a Bernardo, qui circa id tempus Caturcensem Episcopalem Sedem adscendit, neque ab eius comite Remigio, de quo nullum aliud monumentum superest quod proferamus ad illius gesta, vitamque illustrandam. Sunt qui contendunt illum Abboni Floriacensi Abbati opem tulisse, ac sedulam operam commodasse in colligendis Canonibus quos is nuncupavit *Dominis suis gloriosissimis Francorum Regibus*, Ugoni scilicet eiusque filio Rotberto: verum nihil de iis certi nobis, nihil probari exploratum est, atque id aliis libenter relinquimus expendendum.

§. XIV.

Ineunte seculo XI. inclaruit *Remigius Abbas* Monasterii Sanctorum Lupi et Eligii in suburbio Noviomensi percelebris

lebris. Is, Mabillonio teste, *Annal. Benedict. Lib. LVII.* §. 54. *Abbatiam procuravit ad annum circiter* 1069. quo vita functus creditur, electus initio sui regiminis prae ceteris *Monachorum, Cleri, & populi* suffragio, juxta *praeceptum canonum*, jussu Hugonis Noviomensis Episcopi, *qui noluit ex alio Monasterio Abbatem accersiri* mortuo Letbrado. Adfuit is Anno 1066. solemni Pompae, cum Sancti Amandi Corpus per varias Galliae urbes delatum fuit post Elnonense incendium, de quo videndus Mabilloni us idem *Lib.* LXII. §. 107., *ad suppetias obtinendas* ut Basilica ipsa flammis combusta et diruta iterum posset restitui. Nullus equidem dubito quin Remigius symbolam suam contulerit Gisleberto Elnonensi Monacho in conficiendo opere quod litteris mandavit de Miraculis a Deo passim editis in hac S. Amandi corporis delatione, et Noviomi praecipue; ac forte eius itidem est Historia sui ipsius Monasterii, de qua vide Cluniacensem Bibliothecam prae ceteris aliis, quos praetermirto

Re-

§. XV.

Remigius S. Nicasii Abbas apud Remos floruit itidem Seculo XI., et Gervasio Remensem Ecclesiam moderante, primus illius Monasterii rexit habenas. Is Herimari S. Remigii Abbatis disciplina excultus pietate adeo, et Sacrarum rerum scientia celebris evasit, ut Marloto *Histor. Remens. T. I.* teste, inter praecipuos suae aetatis Monachos habitus sit. Nonnulli ei adiudicant Epitaphium quo S. Remigii Monachi Herimaro Abbati suo parentarunt, quodque retulit Mabillonius *Annal. Benedict. Lib. LXIII.* §. 88., alii tamen, et forte non immerito, illud Anselmo cuidam monacho tribuunt, ei scilicet, qui historiam Concilii Remensis, cui Leo IX. praefuit, atque eiusdem Pontificis iter descripsit. Videant id verum Critici, et si vacat litem dirimant, dum nobis satis erit innuere Remigium nostrum post multos exantlatos labores ut Canonica in suo Monasterio disciplina vigeret obiisse circa annum 1071., uti ex

veteri codice, quem Mabillonius in S. Nicasii Monastorio vidit, eruitur quam apertissime.

§. XVI.

Remigius, ut videtur gente Anglus, *Dorensis*, seu Lincolniensis *Episcopus* iam ante annum 1070. suae Ecclesiae praeerat (eo etenim anno interfuit ordinationi Lanfranci Abbatis primum Cadomensis Coenobii, deinde Archiepiscopi Cantuariensis) etsi vulgo is crederetur illi sedi praepositus a Guillelmo Rege, quasi ei gratiam referente pro auxiliis ab ipso acceptis dum in Angliam venisset. Et re quidem vera ab Alexandro Papa II. iam de eius depositatione agebatur, aeque ac de illa Thomae Eboracensis Antistitis, utpote filii Praesbyteri, verum cum Lanfrancus iturus Romam utrumque sui itineris comitem adscivisset, ac pro ipsis apud Pontificem veniam rogasset, ambo ad suum ipsorum Episcopale munus rediere Anno 1071., et Remigius quidem, teste Willelmo Malmesburiensi in *Rebus gestis Anglorum*

Pon-

Pontificum, adeo disciplinae instaurandae operam dedit, ut brevi eius Ecclesia ceterarum forma haberetur. Ex Epistola 44. *Lib. I.* Gregorii VII. comperimus hunc ad eumdem Pontificem scripsisse ut Sacerdoti homicidae, quem Romam miserat, veniam daret, eique largiretur ut ad Praesbyterii munus obeundum rediret; ea tamen epistola, uti et alia eiusdem opera desiderantur prorsus, dolendumque profecto cum ceteris periisse etiam eius Historiam Synodi Londinensis habitae Anno IX. Regni Guilielmi Regis, Christi scilicet 1075., cui ipsemet interfuit: ex ea enim permulta nobis innotescerent quae veteres Anglorum mores, eorumque ecclesiasticam disciplinam illustrarent. Nihil de aliis eius gestis invenitur penes Anglicanae Ecclesiae scriptores, qua de re incertum adhuc quo is anno supremum diem obierit, etsi constet illum adhuc in vivis fuisse Anno 1091., in quo Crulandense celeberrimum Monasterium conflagratum est, et cui instaurando permulta de suo contulit Remigius,

uti scribir Ingulfus Abbas, qui miserabile infortunium longa lamentatione prosequutus, litteris mandavit.

§. XVII.

Ab Ecclesiae Seculo XI. ad ineuntem fere XIV. nullus, quod noverim, Remigii nomine clarus occurrit tum in Litterarum fastis, tum in Ecclesiasticis monumentis, primusque est *Remigius* Hieronymiana gente, Patre Claro, Florentiae natus, quique D. Dominici Monachus a pueritia factus, Parisios studiorum ineundorum causa concessit, atque ibi data opera universae primum deinde illius temporis Philosophiae, et S. Thoma Aquinate duce Theologiae incubuit, adeo ut brevi in eadem Academia sententiarum Magistrum, ut aiunt, valuerit summa cum laude interpretari. Eius nominis fama longe lateque diffusa a doctis omnibus subspiciebatur, quapropter evocatus Romam, maximi ibi factus est a Bonifacio VIII., et Benedicto XI., qui eius scientiam admirabantur, atque in sui ordinis Comitiis Procurator electus nul-

nullum non movit lapidem tum ut vitae probitas eius Fratres comitaretur ubique, tum ut in dies magis doctrina vigeret, et latius Ecclesiae debitus honor tribueretur. Eius itaque vita prudens ab omnibus habita, ac tantum pietati colendae et studiis devota longius protrahi optabatur, verum cum is Florentiae in sui Ordinis Coenobio ad S. Mariam Novellam commorarerur scribendis operibus vacans diem supremum obiit Anno 1319., non sine totius civitatis luctu, ac bonorum omnium dolore. Iulius Negri in sua Italica Historia Florentinorum Scriptorum illum anno 1309. vita functum contendit, Fabricius Anno 1312., aliique aliter sentiunt, constat vero quam apertissime eum ad superos evolasse Anno 1319. ex Epigraphe marmorea quae etiam nunc videri potest sub Ara Gaddiani Sacelli, quae ita se habet.

D. O. M.
BEATO REMIGIO FLOR.
E FAMILIA D. DOMINICI
QUI OBIIT ANNO MCCCXIX.
Cuius Corpus in jacendis huiusce Sacelli
fundamentis

NICO-

C

NICOLAUS GADDIUS CUM INVENISSET
ET SUB ARAM CONDI IUSSISSET
HOC PIETATIS CAUSA F. C.
AN. DOM. MDLXXVII.

Multa is moriens reliquit ingenii sui monumenta quae adhuc tamen anecdota in Bibliotheca S. Mariae Novellae servantur, quorum praecipua haec sunt.

1. *Theologicae Quaestiones* per Alphabeti seriem dispositae, quibus B. Thomae doctrina expenditur et vindicatur.

2. *Quodlibeta*, Tractatus scilicet numero 17. quibus omnis propemodum Theologica scientia dilucide pertractatur.

3. *De Modis Rerum*, opus Metaphysicum, et quod unam redolet Aristotelis scholam.

4. *Duo Sermonum volumina*, quorum alterum Sermones *De B. Virgine* continet, et *de Sanctis*, alterum vero Sermones *De tempore*, atque eo pluris facienda sunt quod eius temporis concionandi rationem ostendunt.

5. Quamplurimae eius *Epistolae* quondam in Gymnasio S. Iacobi Parisiis habebantur, num vero etiam nunc su-

per-

persint ignoro, optandumque esset prorsus ut publici juris fierent, ex iis enim multa quae Historiam illius aetatis illustrarent erui certe possent.

§. XVIII.

Anno 1349. occurrit *Remigius* alter ut pote tunc temporis renuntiatus *Episcopus Comaclensis*, de quo tamen pauca penes Scriptores habes praeter nomen. Is Heremitarum S. Augustini a primoribus annis vitam sectatus, morum probitate, et doctrinae prudentiaeque laude adeo omnium sibi devinxit animum, ut mortuo Pacio Comaclense Antistite, Clemens VI. Romanus Pontifex illum in eius locum suffectum voluerit, ut ex Regestis Vaticanis eruit Ferdinandus Ughellus. Quae ipse fecerit tum cum Monachi vitam professus est, quae deinde Episcopale munus adeptus, minime nobis compertum est, et an ingenii sui monumenta reliquerit, eaque etiam nunc supersint non constat, idque unum tantummodo novimus e vita illum excessisse ante annum 1358. vel eo ipso anno; in quo sane Co-

maclensem sedem adiit Guillelmus Gallus, de quo videndus Ughellius tum in Episcopis Comaclensibus, tum in Senensibus.

§. XVIIII.

Ex Ordine pariter Heremitarum D. Augustini prodiit *Remigius* alter *Pistoriensis Episcopus*, gente Florentinus, quique maximi factus est ob eius eloquentiam praecipue, fuitque habitus magni inter Philosophos aevi sui, eximiosque Theologos, qua de re is cum Innocentio VI. innotuisset, a Pontifice ipso Pistorii Antistes, etsi invitus, renuntiatus est an. 1356. Episcopali itaque munere summa cum laude singularique probitatis exemplo fungebatur, cum antiqua odia, quae jamdiu exorta Pistorii ex privatis familiarum simultatibus numquam fuerant penitus composita, recrudescere coeperunt, id quod Remigii animum saevum in modum angebat, videbat enim omnia in irritum ruere, neque ipsa Religionis mysteria revereri, quiete sublata, et civibus in diversas partes abreptis. Secum interim ipse con-

consilium iniit de sua abdicanda dignitate, atque ut novit pactas esse quodammodo inducias inter rixantes, antiquae suae, antea iniquo animo relictae, vitae rationem iterum sequi postulavit, et voti compos factus ad Coenobium alacris rediit Anno 1367., ubi addicatis curis, Deo studiisque vacans, demum e vivis cessit Anno 1370. Conciones ipse conscripsit quas habuit ad populum adhuc Monachus, et opuscula nonnulla Thologica; verum an latitent etiam nunc in Bibliothecarum forulis, an casu aliquo direpta perierint, prorsus est incompertum nobis, qui optaremus de iis fieri aliquando certiores.

§. XX.

Remigius κατ' ἐξοχὴν Florentinus appellatus seculo XVI. floruit, natusque e Nanninia gente ab incunabilis fere perpetuo se devovit studio litterarum humaniorum, in quo adeo profecit, ut mira ingenii sui alacritate maximi haberetur. Annum vix decimum sextum suae aetatis attigerat, cum Philosophiae addiscendae maximae flagrans

amore

amore ad S.Dominici Monachos se contulit, eorumque moribus allectus illorum instituto brevi se nomen dare quam citissime postulavit. Optati compos factus nihil antiquius habuit quam penitiores Philosophiae, Thelogiaeque fontes sibi aperire; et quidquid historia tum Sacra et Ecclesiastica, tum Civilis et profana reputandum offert, perlustrare. Pio interim V. Summo Pontifici sedebat animo D. Thomae Aquinatis Opera in vulgus proferte quam emendatissima, cumque doctis nonnullis hanc navandam operam contulisset, Romam accivit Remigium ut illorum studiis prae esset in quo munere strenue se gessit usque ad invidiam. Venetias inde petiit ut alacriori sedulitate studiis vacaret, verum cum jam senesceret reversus in Patriam, non omnis mortuus est Florentiae Anno 1581. relictis ingenii sui luculentissimis monumentis, quorum seriem hic lubet proferre.

1. *Adnotationes in sacros Utriusque Testamenti libros*, maximae utilitatis opus, nam quaevis in Sacra Scriptura

ani-

animadversione digna memorantur, quam luculentissime in eo expenduntur.

2. *Tractatus de Summi Pontificis Auctoritate* duobus partitus libris, in quo, si excipias ea quae a falsis Decretalibus is hausit, permulta habes ad rem Canonicam probe facientia.

3. *Tractatus de Residentia Episcoporum*, atque alter *de Pluralitate Beneficiorum*, in quibus Ecclesiae mores per temporum series aperte satis elucidantur.

Haec omnia habes edita Venetiis in 4°. Ann. 1562., et Card. Morono dicata.

4. *Divi Thomae Aquinatis in Libros Ethicorum ec.* Venetiis apud Iunctas in fol. 1563. Hoc opus cum probatissimis exemplasibus Ioannis Argyropili, et Ioannis Bernardi Feliciani conlatum, protulit, credo, Remigius ut absolutiorem editionem curaret Angelici Doctoris. Scripsit Italice.

5. *Vitam Francisci Guicciardini*, quae habetur cum eius Historia edita Venetiis in 4. Anno 1592.

6. *Animadversiones in historiam Francisci*

cisci Guicciardini, opus probatissimum multis, atque apprime iis utile qui Reipublicae praesunt. Prodiit Ven. An. 1582.

7. *Epistolas* eruditione tum Sacra tum profana magni faciendas. Et hae prodiere Ven. An. 1582.

8. *Sermones quatuor*, de Iejnnio Scilicet, de Sanctorum invocatione, de Imaginum sacrarum cultu, et de Sanctorum reliquiis. Venetiis per Iolitum An. 1576. atque alias zlibi.

9. *Orationem* in funere cuiusdam nobilis foeminae. Ven. per Iacob. Sansovinum Anno 2569.

10. *Animadversiones* in Historiam Ioannis, et Matthaei Villani. Ven. Anno 1559.

11. *Mariae Viginis laudes*, quod opus adhuc anecdotum, ut puto, servatur in S. M. Novellae Bibliotheca Manuscript.

12. *Italica* permulta *Epigrammata*, *Odas*, *Eclogas*, et huiusmodi alia, quorum partim pluries jam edita fuere, partim in Bibliothecarum forulis delitescunt, optandumque esset nt quis Italicae Poeseos, atque Etruscae linguae studiosus in unum corpus omnia colligeret.

Ex

Ex Latio pariter in Italicam linguam retulit :

13. *Evangelia et Epistolas* quae statis anni temporibus in Ecclesia leguntur, pluries edita .

14. Opus *de Remediis utriusque fortunae* a Petrarcha conscriptum. Ven. 1607.

15. Thomae Fazelii *de Siciliae Rebus* . Venetiis An. 1574.

16. *Sanctorum Vitas* a Lipomano conscriptas .

17. *Summam Armillam*. Ven. editam.

18. *Militares Orationes* ex Graecis Latinisque auctoribus collectas. Ven. 1560.

19. *Psalterium Davidicam* carmine redditum .

20. *Ovidii Epistolas* carmine pariter italico redditas . Ven. 1581. , et deinceps alibi .

21. *Ammiani Marcellini Historiam* . Venet. 1550.

22. Marci Marulli opus *De Institutione beate vivendi* . Venetiis 1580.

Aemilii Probi *de Viris illustribus* Venetiis 1550.

Nimius praeterea essem profecto si quaevis a Remigio nostro conscri-

pta sunt enumerare vellem, minoris forte momenti ad rem Litterariam, non spernenda tamen Hetruscae linguae studiosis.

Habes interim, Amice Lector, quae de Remigiis nobis innotuere ab aliis usque adhuc indicta ut plurimum, neque animadversa. Meis igitur laboris utere pro lubito, meque tuis commodis faventem pro viribus tua humanitate, ut soles, prosequere.



HOMI-

S. AUGUSTINI

OPUSCULA.

INCIPIT LIBER BEATI AUGUSTINI *DE ORATIONE.*

EVangelica praeceptа, Fratres Dilectissimi, nihil aliud sunt, quam magisteria divina, fundamenta aedificandae spei, firmamenta roborandae fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, praesidia obtinendae salutis, quae dum dociles credentium mentes in terris instruunt, ad coelestia regna perducunt. Multa per Prophetas suos dici Dominus voluit et audiri, sed quanto maiora sunt quae Filius Dei loquitur, quae Dei sermo, qui in Prophetis suis fuit, propria voce testatur, non iam mandans ut paretur venienti via, sed ipse veniens, et viam nobis aperiens ostendit, qualiter qui in tenebris mortis errantes im-

providi, et prius ceci fuimus, suae gratiae luce illuminati iter vitae ipso Domino rectore teneremus. Qui inter cetera salutaria sua monita, et praecepta sua divina quibus populos suos consuluit ad salutem, etiam orandi ipse formam dedit; ipse quid precaremur monuit, et instruxit; qui fecit vivere, docuit et orare, ea benignitate scilicet qua et cetera dare et conferre dignatus est, ut dum prece et oratione, quam filius docuit apud patrem, loquimur, facilius audiamur. Iam praedixerat horam venire *quando veri adoratores adorarent Patrem in Spiritu*, et implevit quando promisit, ut qui spiritum et veritatem de eius sanctificatione percepimus, de traditione quoque eius vere et spiritualiter adoremus. Quae enim potest esse magis spiritualis oratio, quam quae nobis a Christo, a quo nobis et Spiritus Sanctus missus est? Quae vero magis apud Patrem precatio, quam quae a Filio qui est veritas de eius ore prolata, ut aliter orare quam docuit non ignorantia sola sit, sed culpa, cum ipse posuerit et dixerit, *reicitis Mandatum Dei*

Dei ut traditionem vestram statuatis. Oremus itaque, fratres dilectissimi, sicut magister Deus docuit: Amica et familiaris est oratio Domini de suo rogare, ad aures eius ascendere Christi orationem. Agnoscat Pater Filii sui verba cum precem facimus; qui habitat intus in pectore, ipse sit et in voce, cum habeamus ipsum apud Patrem advocatum pro peccatis nostris petimus, advocati nostri verba propinamus. Nam cum dicat, quia *quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: quanto efficacius impetrabimus quod petimus Christi nomine, si petamus ipsius oratione? Sit enim orantibus sermo et precatio cum disciplina quietem continens et pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare; placendum est divinis oculis et habitu corporis, et modo vocis; nam ut imprudentis est clamoribus strepere, ita congruit e contra verecundiorem modestis precibus orare. Denique magisterio suo Dominus secreto orare nos praecepit in abditis et secretis locis, in cubiculis nostris, quod magis congruit fidei, ut sciamus Deum ubi-

ubique esse praesentem, audire omnes et videre, et maiestatis suae plenitudinem in abdita quaeque et occulta penetrare, sicut scriptum est: *Ego Deus approximans, et non Deus de longinquo; Si absconditus fuerit homo in absconditis, ergo ego non videbo eum? Nonne Coelum et terram ego impleo?* et iterum *in omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos*. Et quando in unum cum fratribus convenimus, et Sacrificia divina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiae et disciplinae memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem, commendandam modeste Deo, tumultuosa loquacitate iactare, quia Deus non vocis, sed cordis auditor est, nec admonendus est clamoribus qui cogitationes videt, probante Domino et dicente: *Quid cogitatis nequam in cordibus vesrris!* et alio loco: *sciant omnes quia ego scrutator renis et cordis*, quod Anna in primo Regum libro typum portans custodit et servat quae Dominum, non clamorosa peritione, sed tacite et modeste inter ipsas pectoris latebras, precatur. Loque-

quebatur prece occulta, sed manifesta Fide loquebatur, non voce sed corde, quia sic Dominum sciebat audire, impetravit efficaciter quod petiit, quia fideliter postulavit. Declarat haec Scriptura divina quae dicit, *loquebatur in corde suo, et labia illius non movebantur*. Item legimus in Psal. dicite *in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini*. Per Ieremiam quoque haec eadem Spiritus Sanctus suggerit et docet dicens: *In sensu autem debet adorari tibi Dominus*. Adorans autem, fratres dilectissimi, nec illud ignoret quemadmodum in Templo cum pharisaeo publicanus oraverit, non elevatis in Caelum imprudenter oculis nec manibus insolenter erectis, pectus pulsans et peccata intus inclusa contestans Divinae Misericordiae implorabat auxilium. Et cum pharisaeus sibi placeret, santificari hic magis meruit qui sic oravit, qui spem salutis non in fiducia innocentiae suae posuit, cum innocens nemo sit, sed peccata confessus humiliter oravit, et exaudivit orantem qui humilibus ignoscit, quod Dominus in Evangelio posuit, et dixit:

Hi duo adscenderunt in Templum adorare, unus pharisaeus alter pubblicanus ; Pharisaeus, cum stetisset, talia apud se precabatur: Deus gratias ago tibi quia non sum sicut ceteri hominum iniusti, raptores, adulteri quomodo et publicanus iste, ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quae possideo. Pubblicanus de longinquo stabat et neque oculos ad Coelum volebat levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori ; Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam magis quam ille pharisaeus; quia omnis qui se extollit humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. Quae nos, fratres carissimi, divina locutione dicentes, postquam cognovimus ad orationem qualiter accedere debeamus, cognoscamus, dicente Domino, quid oremus: *Sic* inquit, *Orate.*

Pater norter qui es in coelis, santificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in Coelo et in Terra: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos a malo. amen.

An-

Ante omnia pacis Doctor atque unitatis magister singillatim noluit et privatim precem dici, quasi qui precatur, pro se tantum precari videatur. Ne dicamus Pater meus, neque panem meum da mihi hodie, nec dimitti sibi tantum unusquisque postulet ut in tentationem non inducatur, atque a malo liberetur pro solo se roget, publica est enim nobis et communis oratio, et quando oramus non pro uno, sed pro populo toto oramus, quia populus totus unus sumus. Deus pacis, et concordiae magister qui docuit unitatem, sic orare etiam docuit, unde pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit.

Hanc orationis Legem servaverunt tres pueri in camino ignis inclusi, consonantes in prece et spiritus consensione concordes. Hoc declarat divinae Scripturae fides, et dum docet quomodo oraverint tales dat exemplum quod imitari in precibus debeamus ut tales esse possimus. Tunc inquit illi tres quasi ex uno ore hymnum dicebant et benedicebant dominum, loquebantur

quasi ex uno ore, et nondum Christus illos docuerat orare, et idcirco orantibus fuit impetrabilis et efficax sermo, quia promerebatur Deum pacifica et simplex, et spiritualis oratio. Sic et Apostolos cum discipulis post ascensum Domini novimus orasse; *Erant*, inquit *perseverantes unanimes in Oratione cum mulieribus et Maria quae fuit Mater Iesu et fratibus eius, perseverabant in oratione unanimes*, orationis scilicet et instantiam simul, et concordiam declarantes, quia Deus inhabitare fecit unanimes in domo. Non admittit in Divinam et aeternam domum nisi eos apud quos unanimis oratio. Qualia autem sint, fratres dilectissimi, Orationis Dominicae Sacramenta, quam multa, quam magna, breviter in Sermone collecta, sed in virtute spiritualiter copiosa ostendam, ut nihil omnino praetermissum sit quod non in precibus atque orationibus nostris coelestis doctrinae compendio apprehendatur. Animadvertite, *sic* ait, *orate*.

Pater noster qui es in Coelis, homo novus, renatus, Deo suo per ejus gratiam

tiam restitutus, Pater primo in loco dicit quia Filius esse iam coepit. *In sua*, inquit, *propria venit, et sui eum non receperunt quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine eius*, qui autem credit in nomine eius, et factus est Dei filius, hinc debet incipere, et gratias agat, profiteatur se Dei filium dum nominat Patrem sibi esse in Coelis, Deum contestetur quoque inter prima statim nativitatis suae verba, renuntiasse se terreno et carnali Patri, et patrem solum nosse esse, et habere coepisse qui sit in Coelis, dum scriptum est: Qui dicunt Patri et Matri non novi te, et filios suos non agnoverunt, hi custodierunt verba, et Testamentum tuum servaverunt. Item dominus in Evangelio suo praecepit, ne vocemus nobis patrem in terra, quod sit scilicet nobis unus Pater qui est in Coelis. Et discipulo qui mentionem patris fecerat respondit: Sine mortui sepeliant mortuos, dixerat enim patrem suum mortuum, cum sit credentium pater unus. Neque hoc solum, fratres dilectissimi, animad-

madvertere et intelligere debemus quod appellamus Patrem qui sit in Coelis, sed coniungimus et adicimus; *Pater noster*, idest eorum qui credunt quod per eum sanctificati, et gratiae spiritualis nativitate reparati, filii esse coeperunt. Quae vox Iudaeos restringit et percutit, qui sibi Christum per prohetas annuntiatum, et ad se prius missum, non tantum spreverunt infideliter, sed etiam crudeliter necaverunt: qui non possunt patrem Deum vocare, cum Dominus eos confundat et redarguat dicens: *Vos de patre Diabolo nati estis, et concupiscentias patris vestri facere vultis, ille enim homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas non est in illo*: Et per Isaiam prophetam Dominus clamat indignans: *Filios genui et exaltavi: ipsi autem spreverunt me; agnovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui, Israel me non cognovit, et populus meus non intellexit: Vae gens peccatrix, populus plenus peccatis, semen nequam, filii scelerati, dereliquisti Dominum Deum tuum, et indignationem misisti semen Israel*. In quorum exprobrationem Chri-

Christiani quando oramus, Pater noster, primo in loco dicimus, quia noster esse coepit, et Iudaeorum qui eum dereliquerunt, esse desiit. Nec peccator populus potest esse filius, sed quibus remissio peccatorum datur, eis filiorum nomen adscribitur, eis aeternitas repromittitur, Domino ipso dicente: omnis qui facit peccatum servus est peccati, servus autem non manet in aeternum in domo. Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis eius et bonitatis ubertas! ut sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum Patrem vocemus, et ut est Christus, Filius Dei, sic et nos filios nuncupemus. Quod nomen nemo nostrum auderet attingere, nisi ipse sic nobis promisisset orare. Meminisse itaque, fratres dilectissimi, et scire debemus quando Deum Patrem dicimus quod quasi filii Dei agere debemus, ut quomodo nobis placeamus de Deo, sic sibi et ipse placeat de nobis, conversemur quasi Dei Templa, ut Deum in nobis constet habitare, nec sit degener actus noster a spiritu, ut qui

Spi-

Spirituales et coelestes esse coepimus nonnisi Spiritualia et coelestia cogitemus et agamus. Quia et ipse Dominus dixit *eos qui clarificant me clarificabo, et qui me spernet spernetur*. Beatus quoque Apostolus in Epistola sua exposuit dicens: *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno, clarificate, tollite et portate Deum in corde vestro*. Post hoc dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, non quod optemus ut Sanctificetur in orationibus nostris, sed quod petamus a Deo ut nomen eius Sanctificetur in nobis. Ceterum a quo Sanctificatur Deus qui ipse Sanctificat? Sed quia ipse dixit: Sancti estote quoniam ego Sanctus sum. Id petimus et rogamus ut qui in Baptismo Sanctificati sumus in eo quod esse coepimus perseveremus et hoc quotidie deprecamur; opus est enim nobis quotidiana Sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra Sanctificatione assidua repurgemus.

Quae autem sit Sanctificatio quae vobis Dei dignatione conferetur Apostolus praedicat dicens: *Neque fornicarii, neque Idolis servientes, neque adulteri, neque*

neque molles, neque masculorum appetitores, neque fures, neque fraudulenti, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei consequentur: et hoc quidem fuistis sed abluti estis, sed iustificati estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, et Spiritu Dei nostri. Haec Sanctificatio ut in nobis permaneat oramus. Et Dominus quidem et iudex noster a se iustificato et sanato comminatur iam non delinquere ne quid ei deterius eveniat. Hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus; et vivificatio quae de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur in oratione. Sequitur: *Adveniat Regnum tuum*. Regnum etiam Dei representari nobis petimus sicut in nobis et nomen eius ut Sanctificetur in nobis postulamus. Nam Deus quando non regnat? aut apud eum quando incoepit, quod semper fuit, et esse non desinet? Nostrum Regnum petimus advenire a Deo nobis repromissum, Christi Sanguine et passione quaesitum, ut qui in Saeculo ante servivimus, postmodum Christo dominante regnemus, sicut ipse pol-

lice-

licetur et dicit: *Venite benedicti Patris mei percipite Regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.*

Potest vero, fratres carissimi, et ipse Christus esse Regnum Dei, quoniam venire quotidie cupimus, cuius adventus ut cito nobis repraesentetur optamus. Nam cum Resurrectio ipse sit, quia in ipso resurgimus, sic et Regnum Dei potest ipse intelligi; quia in ipso Regnaturi sumus, bene Regnum Dei petimus, idest Regnum coeleste, quia est et terrestre Regnum, sed qui renuntiat saeculo major est honoribns eius et Regno, et ideo qui se Deo et Christo dicat, non terrena sed coelestia Regna desiderat. Continua autem oratione et prece opus est, ne excidamus a Regno coelesti, sicut Iudaei, quibus prius promissum fuerat, exciderunt domino manifcstante et probante: *Multi*, inquit, *venient ab Oriente et Occidente, et accumbent cum Abraam, Isaac, et Iacob in Regno Coelorum; Filii autem Regni eiicientur in tenebras exteriores; illic erit ploratio et stridor dentium*. Ostendit quia antea Filii Regni erant Iudaei, quando

et

et Filii Dei perseverabant, postquam cessavit contra eos nomen paternum, cessavit et Regnum, et ideo nos Christiani qui in oratione appellamus Deum Patrem, et coepimus eum nosse, ut Regnum Dei nobis veniat oramus. Addimus quoque et dicimus. *Fiat voluntas tua sicut in Coelo et in Terra*; non ut solum Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod vult; nam Deo quis obsistit, quominus quando velit faciat? Sed quia a Diabolo obsistitur quominus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus et petimus ut fiat in nobis voluntas Dei. Quod ut fiat in nobis opus est Dei voluntate, id est opere eius et protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia, et misericordia tutus est. Denique Dominus et infirmitatem hominis quam portabat ostendens ait: *Pater si fieri potest transeat calix iste a me*, etiam exemplum discipulis suis tribuens ut non voluntatem suam, sed illam Dei faciant; addit dicens: *Verumtamen non sicut ego volo sed quod tu*: et alio loco dicit: *Non descendi de Coelo ut faciam voluntatem meam, sed*

eius qui misit me. Quod si Filius obaudivit ut faceret voluntatem Patris, quanto magis servus obaudire debet, ut faciat Domini voluntatem? Sicut in Epistola Ioannes quoque ad faciendam Dei voluntatem hortatur et instruit dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt; si quis dilexerit mundum non est charitas Patris in eo, quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est et oculorum, et ambitio seculi, et mundus transit et concupiscentia eius.* Qui autem fecerit voluntatem Dei manet in aeternum quomodo et Deus manet in aeternum; quare si in aeternum manere volumus, Dei, qui aeternus est, voluntatem facere debemus. Voluntas autem Dei, quam et Christus docuit et fecit, est humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina: iniuriam facere non nosse, et factam posse tolerare; cum fratribus pacem tenere, Deum ex toto corde diligere, amare in illo quod Pater est, timere quod Deus est; Christo nihil praeponere omnino, quia nec

nobis ille quicquam praeposuit, charitati eius inseparabiliter adhaerere, Cruci eius fortiter ac fidenter assistere, quando de eius nomine et honore certatur exhibere in sermone constantiam qua confirmamur, in quaestione fiduciam qua congredimur, in morte patientiam qua coronamur, hoc est cohaeredem Christi velle esse, hoc est praeceptum Dei sequi, hoc est voluntatem Patris facere, hoc est voluntatem Parris implere. Fieri autem petimus voluntatem Dei in coelo, et in terra, quod utrumque ad consummationem nostrae incolumitatis et salutis pertinet. Nam cum corpus in terra, et Spiritum possideamus in coelo, ipsi coelum et terra sumus, et in utroque, idest corpore et Spiritu ut voluntas Dei fiat oramus. Est enim inter carnem et Spiritum colluctatio, et discordantibus adversum se invicem iis quotidiana congressio est, ut non quae volumus, illa faciamus, dum Spiritus coelestia quaerit et divina, Caro terrena et secularia concupiscit: Et ideo petimus inter duo istam opere et auxilio Dei concordiam fieri

ut et Spiritu et carne voluntas Dei geratur, quaeque per eum renata est anima conservetur, id quod aperte atque manifeste Apostolus Paulus sua voce declarat: *Caro*, inquiens, *concupiscit adversus Spiritum, Spiritus adversus carnem, haec enim invicem adversantur sibi, ut non quaecumque vultis illa faciatis*. Manifesta autem sunt facta carnis quae sunt adulteria, fornicationes, immunditiae, spurcitia, Idololatriae, veneficia, homicidia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, animositates, provocationes, simulationes, dissensiones, haereses, invidiae, ebrietates, commessationes, et his similia, quae qui talia agunt Regnum Dei non consequentur. Fructus autem Spiritus gaudium, charitas, pax, magnanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas; et idcirco quotidianis atque continuis orationibus precamur et in coelo et in terra voluntatem Dei fieri circa nos, quia haec voluntas Dei est ut terrena coelestibus cedant, Spiritualia carnalibus praevaleant. Potest etiam sic intelligi, fratres charissimi, ut quoniam mandat et monet

net Dominus et inimicos diligere et pro his quoque qui nos persequuntur orare, petamus et pro illis qui adhuc terreni sunt et nec dum coelestes coeperunt esse, et ut circa illos voluntas Dei fiat, quoniam Christus hominem conservando, et reintegrando perfecit. Nam cum discipuli ab eo non iam terreni appellentur sed sal terrae, et Apostolus primum hominem vocet de limo terrae; secundum vero de coelo; merito et nos qui esse debemus Patri Deo similes, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos, sic Christo monente oremus ut precem pro omnium salute faciamus. Ut quomodo in coelo, in nobis per fidem nostram voluntas Dei facta est, ut essemus coelo, ita et in terra, hoc est in non credentibus fiat voluntas Dei, ut scilicet fiant coelestes ex aqua et spiritu nati. Procedente oratione postulamus et dicimus:

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: quod potest spiritualiter et simpliciter intelligi, petimus enim id quod utiliter proficit ad salutem. Nam

panis

panis vitae Christus est ; et panis hic omnium non est sed noster est ; et quomodo dicimus : Pater noster, quoniam intelligentium et credentium Pater est, sic et panem nostrum vocamus, quia Christus noster cum corpus eius attingimus panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum abscissi et non communicantes a coelesti pane prohibemur, a Chisti corpore separemur, ipso praedicante et monente: *Ego sum panis vitae qui de Coelo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum: Panis autem quem ego dedero caro mea est pro seculi vita.* Quando ergo dicit in aeternum vivere si quis ederit de eius pane, utique manifestum est eos vivere qui corpus eius attingunt, et Eucharistiam in re communicationis accipiunt. Itaque contra timendum est et orandum ne dum quis abscissus separatur a Christi corpore, abscissus remaneat a salute, comminante ipso et dicen-

dicente; Nisi ederitis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Et ideo panem nostrum, idest Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione et corpore eius non recedamus. Potest vero et sic intelligi, ut qui seculo renuntiamus, et divitias eius et pompas fide gratiae Spiritualis abiecimus, cibum nobis tantum petamus et victum, quum instruat Dominus et dicat; *Qui non renuntiaverit omnibus quae sunt eius, non potest esse meus discipulus.* qui ante Christi discipulus coepit esse secundum voluntatem magistri sui renuntians omnibus, diurnum debet cibum petere, nec in longum desideria petitionis exstendere, ipso iterum Domino praescribente et monente: *Nolite in crastinum cogitare, crastinus enim dies ipse cogitabit sibi, sufficit enim diei malitia sua.* Merito ergo Christi Discipulus victum sibi in diem postulat qui de crastino prohibetur cogitare, et quia contrarium sibi sit, et repugnans est ut quaeramus in seculo diu vivere qui

peti-

petimus Regnum Dei velociter advenire. Sic et Apostolus Beatus monet formans et corroborans spei nostrae ac fidei firmitatem: Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum, certum est quod neque auferre possimus; habentes itaque exhibitionem et tegumentum, his contenti sumus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in muscipulam, et desideria multa et nocentia quae mergunt hominem in perditionem et in interitum, radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt a fide, et inserunt se doloribus multis: docet non tantum contemnendas, sed et periculosas esse divitias illis, esse radicem malorum blandientium, caecitatem mentis humanae occultata deceptione fallentium. Unde divitem stultum seculares divitias cogitantem, et se exultantium fructuum largitate iactantem redarguit dicens: *Stulte hac nocte expostulatur anima tua a te: quae ergo parasti cuius erunt?* Laetabitur stultus in fructibus nocte illa moriturus, et cuius vita iam deerat de victus abun-

dantia cogitabat. Contra autem Dominus perfectum et consummatum docet eum fieri qui, omnibus suis venditis atque in usus pauperum distributis, thesaurum sibi condat in coelo, qui patientem eum dicit posse se sequi, qui gloriam Dominicae resurrectionis potest imitari, qui expeditus et succintus nullis laqueis rei familiaris involvitur, et solutus ac liber facultates ad dominum ante praemissas ipse quoque comitatur. Ad quod ut possit unusquisque nostrum parare se, sic discit orare, et de orationis lege qualis ea esse debeat agnoscere; neque enim deesse quotidianus cibus potest iusto, cum scriptum sit: *Non occidet Dominus fame animam iustam* et iterum: *Iunior fui et senui et non vidi iustum derelictum nec semen eius quaerens panem*. Iterum Dominus repromittit et dicit: *Nolite cogitare dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quo vestiemur? haec autem nationes quaerunt; scit enim Pater vester quia omnium horum indigetis; quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius et haec omnia adicientur vobis*. Quaerentibus regnum

Dei, et iustitiam eius omnia promittit apponi, et iam cum sint Dei omnia, habenti Deum nihil deerit si Deo ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu iussu regis incluso prandium divinitus procuratur, et inter feras esurientes homo Dei pascitur. Sic aliter Helias in fuga et sollicitudine corvis ministrantibus et volucribus cibum apportantibus et in persecutione nutritur. Oh humanae malitiae detestanda crudelitas! ferae pascunt et aves pascunt, et homines insidiantur et saeviunt. Post hoc et pro peccatis nostris deprecamur dicentes: *et remitte nobis peccata nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris.* Primo subsidium cibi petitur et venia delicti, ut qui Deo pascitur, Deo vivat, nec tantum praesenti et temporali vitae, sed aeternae consulitur, ad quam veniri potest si peccata donentur, quae debita Dominus appellat, sicut in Evangelio suo dicit: *Dimisi tibi omne debitum quia rogasti me.* Quam necessario autem, quam prudenter et salubriter admonemur quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compel-

pellimur, ut dum indulgentiam a Deo petimus conscientiae animus recordetur, nequis vel sibi innocens placeat, et se extollendo plus pereat. Instruitur et docetur se peccare quotidie dum pro peccatis iubetur orare; sicut denique et Ioannes in Epistola sua sequitur dicens: *Si dixerimus quod peccatum non habemus nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est; si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis et iustus est Dominus qui nobis peccata dimittat.* In Epistola scilicet utrosque complexus est, ut rogare pro peccatis nostris debeamus, et impetremus indulgentiam cum rogamus; ideo et fidelem dixerit Dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis suae servantem quia qui orare nos pro debitis et peccatis docuit paternam misericordiam promisit et veniam secuturam adiunxit plane, et addidit legem circa nos conditione et sponsione constringens, ut sic nobis debita dimitti postulemus, scientes impetrari non posse quod pro peccatis petimus, nisi et ipsi circa peccatores nostros paria fecerimus. Idcirco et alio in loco dicit:

cit: *In qua mensura mensi fueritis in ea remetietur vobis:* Et quia conservus post dimissum sibi omne debitum, conservo suo noluit dimittere, in carcerem religatur, quia indulgere conservo noluit quod sibi a Domino indultum fuerat amisit, quae adhuc Christus fortius praeceptis suis majore censurae suae vigore praedixit: *Cum steteritis*, inquit, *ad orationem remittite si quid habetis adversus aliquem, ut Pater vester qui in coelis est remittet vobis peccata vestra. Si autem non remiseritis, neque Pater vester qui in coelis est remittet vobis peccata vestra.* Excusatio tibi nulla in die iudicii superest, cum secundum tuam sententiam iudiceris; et quod feceris, hoc et ipse patiaris. Pacificos enim et concordes atque unanimes esse in domo praecepit Deus et quales nos fecit secunda nativitate, tales natos vult perseverare, ut qui filii Dei esse coepimus in Dei pace maneamus: et quibus Spiritus sanctus unus est, unus sit et animus et sensus; non etenim sacrificium Deus recipit dissidentis, sed ab altari recedere et prius fratri reconciliari iubetur pacificis precibus ut

Deu

Deus possit sibi esse pacatus. Sacrificium Deo majus est pax nostra et fraterna concordia, et de Unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adiuvata, quam victimae. Neque enim in Sacrificiis quae Chain et Abel primi obtulerunt munera eorum Deus sed corda intuebatur ut ille placeret in munere qui placebat in corde. Abel pacificus et iustus uni Deo sacrificans innocenter docuit et ceteros quando ad altare munus offerunt sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum Lege iustitiae, cum concordiae pace. Merito ille dum in Sacrificio Dei talis est, ipse postmodum Sacrificium Deo factus est, ut martyrum primus ostendens initiaret Sanguine suo gloriosam Dominicam passionem qui et iustitiam Domini habuerat et pacem. Tales denique a Deo coronantur, tales cum Domino in die iudicii iudicabunt; ceterum discordans et dissidens, et pacem cum fratribus non habens, secundum quod beatus Apostolus et scriptura sacra testantur, nec si pro Christiano nomine occisus fuerit crimen dissensionis fraternae poterit evadere.

dere, quia sicut scriptum est: *Qui fratrem suum odit, homicida est*, nec ad Regnum coelorum pervenit, aut cum Deo vivit homicida; non enim potest esse cum Christo, qui imitator Chain et Iudae maluit esse quam Christi. Quale delictum est, quod nec Baptismo Sanguinis potest ablui! quale crimen est quod Martyrio non potest expiari! Illud quoque necessario monet Dominus, ut in Oratione dicamus: *et ne patiaris nos induci in tentationem*. In parte ostenditur vel adversarius contra nos non posse, nisi Deus ante permiserit, ut omnis timor noster necessario, atque omnis observatio ad Deum convertatur in deprecationibus nostris quando nihil Malo liceat, nisi potestas tribuatur. Probat hoc divina Scriptura quae dicit: *Venit Nabuchodonosor Rex Babiloniae in Hierusalem, & expugnabat eam & tradidit eam Dominus in manibus suis*. Datur autem potestas adversus nos Malo secundum peccata nostra, sicut scriptum est: *Quis dedit in direptionem Iacob & Israel his qui praedaverunt illum? Nonne Deus quia pec-*

caverunt, & nolebant in viis eius ambulare, audire legem eius, & superinduxit super eos iram animadversionis suae? Et iterum Salomone peccante, et a praeceptis, atque a viis Domini recedente positum est; *& excitavit Dominus Sathan ipsi Salomoni*. Potestas vero adversus nos dupliciter datur, vel ad poenam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur; sicuti de Iob factum videmus, manifestante Domino, ac dicente: *Ecce omnia quaecumque habet in manus tuas do, sed ipsum vide ne tangas.* Et Dominus in Evangelio loquitur tempore passionis: *Nullam haberes potestatem adversus me, nisi datum esset tibi desuper*. Quando autem Rogamus ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis, et imbecillitatis nostrae, dum sic rogamus ne quis insolenter extollat se, ne quis superbe atque arroganter aliquid assumat, nequis aut confessionis aut passionis gloriam suam dicat, cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit: *Vigilate & orate, ne veniatis intentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Ut dum praecedit humi-

humilis et submissa confessio, et datur totum Deo quicquid suppliciter cum timore et honore Dei petitur, ipsius pietate praestetur. Post ista omnia consummatione orationis venit laus illa universas petitiones nostras et preces collecta brevitate concludens, in novissimo etenim posuimus: *Sed libera nos a malo*, comprehendentes adversa cuncta, quae contra nos in hoc mundo molitur inimicus, a quibus potest esse fida et firma tutela si nos Deus liberet, si deprecantibus atque implorantibus opem eius ipse praestet. Quando autem dicimus libera nos a malo, nil remanet quod ultra adhuc debeat postulari; quando solum protectionem Dei adversus malum precamur, qua impetrata contra omnia quae Diabolus et mundus operantur securi stamus et tuti. Quis enim ei de seculo metus est, cui in seculo Deus tutor est? Quid mirum, fratres Carissimi, si oratio talis est quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem petitionem nostram salutari sermone breviavit? Hoc per Isaiam prophetam fuerat ante praedictum, cum ple-

plenus Spiritu Sancto de Dei maiestate atque pietate loqueretur: *Verbum consummans* inquit, *et brevians in justitiam, breviatum sermonem faciet Deus in toto orbe terrarum*. Nam cum Dei Sermo Dominus Iesus Christus venerit omnibus, et colligens doctos pariter et indoctos omni sexui atque aetati praecepta salutis ediderit, praeceptorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplina coelesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici Fidei necessarium velociter disceret: sicque condoceret quid sit vita aeterna; Sacramentum enim vitae magna et divina brevitate complexus est; et quod vitam aeternam vellet innuere ostendit dicens: *ut cognoscant te solum verum Deum et quem promisisti Christum*. Item cum de lege et prophetis praecepta prima et majora decerperet: *audi*, inquit, *Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est: diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et de tota anima tua, et de tota virtute tua: Hoc primum, et secundum simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te: In his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae.*

Et iterum *quaecumque volueritis ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis: haec enim lex, et prophetae.* Nec verbis tantum sed factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter et deprecans, et quid nos facere oporteret exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est: *Ipse autem fuit recedens in solitudines et adorans*, et iterum *exivit in montem orare*, et fuit *pernoctans in Oratione Dei*. Quod si ille orabat qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem iugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto magis frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus et rogabat non pro se; quid enim pro se innocens precaretur? Sed pro delictis nostris, sicut et ipse declarat cum dicit ad Petrum. *Ecce Sathanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te ne deficiat fides tua*. Et pro omnibus postmodum deprecatur dicens: *Non pro his autem rogo solum, sed pro illis qui credituri sunt per Verbum illorum in me;*

me; ut omnes unum sint sicut tu Pater in me, et ego in Te; ut et ipsi in nobis sint. Magna certe ante Deum propter salutem nostram Christi benignitas pariter et pietas, ut non contentus quod nos Sanguine suo redimeret adhuc pro nobis amplius et rogaret. Rogantis autem desiderium vide quod fuerit, ut quomodo unum sunt Pater et Filius, in una unitate sic et nos maneamus; ut hinc quoque possit intelligi quantum delinquat qui Unitatem scindit, et pacem, cum pro hoc rogaverit Dominus, nolens scilicet plebem suam de schismaticis vivere, cum sciret ad Regnum Dei discordiam non venire. Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces debemus, cogitatio omnis carnalis et secularis abscedat, nec quidquam animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo et Sacerdos ante orationem praefatione praemissa parat fratrum mentes dicendo: *Sursum corda*; ut dum respondet plebs; *habemus ad Dominum*, admoneatur nihil se aliud quam Deum cogitare debere. Claudatur

tur contra adversarium pectus, et soli Deo placeat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiantur. Obrepit enim frequenter, et penetrat et subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare. Quae autem segnitia est alienari et capi ineptis cogitationibus et prophanis, cum Dominum deprecaris, quasi aliud sit quod magis debeas cogitare, quam id quod cum Deo loqueris, quomodo audiri a Deo te postulas, cum te ipse non audias, et vis esse Dominum memorem tui cum rogas, quando tu ipse tui memor non sis? Hoc est ab hoste in totum non cavere, hoc est quando oras Deum, majestatem Dei negligentia offendere; hoc est vigilare oculis, et dormire corde, cum debeat Christianus et cum dormit oculis corde vigilare, sicut dictum est ex persona loquentis Ecclesiae in Cantico Canticorum: *Ego dormio et cor meum vigilat*; Quapropter sollicite et caute admonet Apostolus dicens:

Insta-

Instate orationi vigilantes in ea, docens scilicet et ostendens eos impetrare quod postulant a Deo posse, quos Deus in oratione videat vigilare; orantes autem non infructuosis, non nudis precibus ad Deum veniant; inefficax enim petitio est cum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur, et in ignem mittatur, utique sermo non habens fructum promereri Deum non potest, qui nulla operatione foecundus est. Et ideo Divina scriptura instruit dicens: *Bona est Oratio cum ieiunio et eleemosina*, nam qui in Iudicii die praemium pro operibus et eleemosinis redditurus est, hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. Sic denique Cornelius centurio cum oraret meruit exaudiri; fuit enim multas faciens eleemosinas in plebe et semper orans Deum. Huic circa horam nonam adstitit oranti Angelus testimonium reddens sui operis et dicens: *Corneli Orationes tuae et eleemosinae tuae adscenderunt ad memoriam coram Domino*. Cito eae orationes adscendunt quas ad Dominum

minum merita nostri operis important. Sic et Raphael Angelus Thobiae semper oranti et semper operanti testis fuit dicens: *opera Dei revelare et confiteri honorificum est, nam cum orabas et sero ego obtuli memoriam orationis vestrae in conspectu claritatis Dei, et cum sepelires tu mortuos similiter, et quia non es concitatus exurgere, et derelinquere prandium tuum, et abisti et condidisti mortuum, missus sum tentare te, et iterum misit me Deus curare te et Saram nurum tuam. Ego sum Raphael unus ex septem angelis iustis qui assistimus ante Deum, et conversamur ante claritatem Dei.* Per Isaiam quoque Dominus admonet et docet similia contestans: *Solve, inquit, omnem nodum iniustiae, resolve suffocationes importantium convicinorum, dimitte quassatos in requiem, et omne iniustum dissipa, frange esurienti panem tuum, egenos sine tecto induc in Domum tuam, si videris nudum vesti, et domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur, et praeibit ante te iustitia et claritas Dei circumdabit. Tunc exclamabis et Dominus exaudiet te;*

dum

dum adhuc loqueris dicet ecce adsum. Adesse se promittit, et audire ac protegere qui iniustitiae nodos de corde solventes, et eleemosinas circa domesticos Dei secundum eius praecepta facientes, dum audivat, quod Deus praecepit fieri ipsi quoque a Deo merentur audiri. Beatus quoque Apostolus Paulus in necessitate pressurae adiutus a fratribus, opera quae sunt sacrificia: *Saturatus sum* inquit, *recipiens ab Hepaphrodito ea quae a vobis missa sunt in odotem suavitatis sacrificium acceptum et placitum Deo.* Nam cum quis miseretur pauperis, Deo foenerat, et qui dat minimis, Deo donat, et spiritualiter Deo suavitatem odoris sacrificat. In orationibus clebrandis invenimus tres pueros cum Daniele in fide fortes et in captivitate victores hora tertia sexta, nona, Sacracramento scilicet Trinitatis quae in novissimis temporibus manifestari debebat. Nam et prima hora in tertiam veniens consummatum promissae olim numerum Trinitatis ostendit; iterumque ad sextam per quartam procedens declarat alteram Trinitatem. Et quando

do a septima nona completur per ternas horas Trinitas perfecta numeratur. Quae horarum spatia iam praedeterminantes adoratores Dei statutis et legitimis ad preces temporibus serviebant, et manifesta postmodum res est sacramenta olim fuisse, quod ante sic iusti precabantur. Nam super discipulos hora tertia descendit Spiritus Sanctus, qui gratiam Dominicae promissionis implevit. Item Petrus hora sexta in tectum superius ascendens signo pariter et voce Domini monentis instructus est ut omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emendandis gentibus ante dubitaret. Et Dominus hora sexta Crucifixus est, et ad nonam peccata nostra abluit; et ut redimere et vivificare nos posset, tunc victoriam suam passio perfecit; sed nobis, fratres charissimi, praeter horas antiquitus observatas, orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt; nam et mane orandum, ut Resurrectio Domini matutina oratione celebretur, quod olim Spiritus Sanctus designabat in Psal. dicens. *Rex meus et Deus meus quoniam*

ad te orabam, mane exaudies vocem meam; mane adsistam tibi et contemplabor te. Et iterum per prophetam loquitur Dominus: *Diluculo vigilabunt ad me dicentes: eamus et revertamur ad Dominum nostrum.* Recedente iterum sole ac die cessante necessario rursus orandum est; nam Deus noster sol est et dies verus, et sole ac die seculi recedente quando oramus et petimus ut super nos lux veniat, denuo Christi precamur adventum, lucis aeternae gratiam praebiturum. Christum autem diem dictum declarat in Psal. Spiritus sanctus dicens: *a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris*, et rursus *Ista est dies quam fecit Dominus, exultemus, et iucundemur in ea.* Item quod sol appellatus sit, Malachias propheta testatur dicens: *Vobis autem qui timetis nomen Domini orietur sol iustitiae et in aliis obscuratio.* Quod si in Scripturis sanctis sol verus et dies verus Christus est, hora nulla christianis excipitur, quominus frequenter ac semper Deus debeat adorari; ut qui in Christo, hoc est sole et in die vero sumus, instemus

per totam diem precibus et oremus, ut quando mundi et legis decursis vicibus alterius nox resoluta succedit; nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum possit quia filiis lucis et in ipsa nocte dies est. Quando enim sine lumine est, cui lumen in corde est? aut quando sol et dies non est, cui sol et dies Christus est? Qui autem in Christo, hoc est in lumine semper fuimus, nec noctibus ab oratione cessemus, sicut Anna vidua sine intermissione rogans semper et vigilans perseverabat in promerendo Deo, sicut in Evangelio scriptum est: *Non recedebat*, inquit, *de Templo ieiuniis et orationibus serviens nocte et die*; non viderunt scilicet qui nec illuminati sunt, vel Iudaei qui deserti lumine in tenebris remanserunt. Nos, fratres dilectissimi, qui in Domini Luce semper sumus, qui meruimus et tenemus quid esse accepta gratia coeperimus, computemus noctem pro die, ambulare semper in lumine nos credamus, non impediamur a tenebris quas evasimus, nulla sint horis nocturnis precum damna, nulla orationum pigra

et

et ignara dispendia; per Dei indulgentiam recreati spiritualiter, et renati imitemur quod futuri sumus, habituri in regno sine interventu noctis solis diem sempiternum; quasi in lumine vigilemus oraturi semper et acturi Deo gratias: ac per hoc et hic quoque orare et agere gratias non desinamus.

LIBER
SANCTI AUGUSTINI

De quatuor Virtutibus Caritatis.

DEsiderium caritatis vestrae a nobis exigit debitum sermonis officium; sed tanta sunt quae terreant et revocent animum nostrum, ut si velimus parere desiderio vestro non sit sine periculo nostro. Loquuturus namque de caritate silentio non practeream quae bona ex ea procedant, et quae eam comitentur, sed temporis coarctatus angustiis quo me conferam in primis nisi ad sanctae ipsius vestigia caritatis, eamque deprecer, ut donet mihi aliquid dignum de se dicere, quo et meum suppleam ministerium et vestrum satiem desiderium. Inter ceteras autem virtutes eius, quas commemorat Apostolus Paulus, ait quod *Caritas non aemulatur, non agit perperam, non irritatur, non cogitat malum*; et postremo has quatuor eius Virtutes brevi sermone comprehendit dicens,

dicens, *omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*. De his igitur quatuor virtutibus sanctae caritatis loqui convenit sanctitati vestrae, delectatque primitus intueri, quemadmodum quatuor cardines orbis continens totum possederit mundum. Requiramus igitur si placet aliquorum exempla sanctorum, eorum scilicet, qui his Virtutibus possessi sunt, et eis singulis ita singula tribuamus, ut omnes in omnibus esse noscamus, quoniam omnis qui pie tolerat, recte credit, aliquid sperat, et qui sperat sustinet, ne absque spe cadat. Sed iam, qui nam isti sunt videamus, quorum fidem, inquantum desuper adiuvamur, assequi valeamus. Virtus Sanctae caritatis quae omnia tolerat emicuit in Sancto Noe: quae omnia credit in Sancto Abraam: quae omnia sperat in Patribus nostris, idest in populo Israel, unde ipse Dominus exortus est, quae omnia sustinet, in ipso capite Domino nostro Iesu Christo qui est vera Caritas quae nunquam cadit. Nec ceteros Sanctos ab his Virtutibus vestra caritas deputet

tct alienos quos pro brevitate temporis et pro sermone suscepto ita praetermissos esse cognoscite ut tamen certissime noveritis omnes esse in Christo, et in omnibus Christum. Sed iam videamus quemadmodum Sanctus Noe possederit virtutem Caritatis quae omnia tolerat. Statim ac ille admonitus fuit confugit ad lignum, et post camporum amoenorum faciem angustus se recludit arce: tolerat Coeli fremitum, solutum aquarum fragorem et nimborum, et post ista omnia qui solebat gaudere consortio hominum socius quodammodo efficitur serpentium ac ferarum; nec expavescit vir iste quod cum eo ferae sint in archa, immo ibi agnoscit ordinem suum feritas, quia se cognovit humanitas, et iubenti homini obediunt, quia hominem superiori Domino obedisse cognoscunt. Ostensum est in Noe quod Adam praeceptum Domini contemnendo perdiderit, et demonstratum est posse homines etiam bestiis dominari, si subdant se obedientiae conditoris. Expectat et tolerat sanctus iste finem diluvii, nec antequam finiatur causa

fera-

ferarum archa relinquitur. Tolerat bonus mala, et donec in fine etiam corpore separentur, intus manens corde non corpore separatur. Si qua es anima quae cupis possidere virtutem caritatis quae omnia tolerat, relinque mundum, confuge ad crucis lignum; non metuas procellas et turbines huius diluvii; non mergeris si ligno portaberis. Novit gubernare qui dignatus est creare: tantum adsit virtus caritatis quae omnia tolerat, nulla res ab arce solida te divellat, permane bonus et toleres malos, melius est enim ut intus positus propter bonos toleres malos, quam foris exiens et per eas, et bonos relinquas et malos. Si ergo sunt tecum ferae, idest si sunt tecum in Ecclesia prava docentes, falsa sentientes, haeretici vel schismatici, aut etiam ipsi mali catholici, more ferarum animas devorare quaerentes, toleretur usque in finem seculi tamquam finem diluvii. Rugiant licet, fremant dentibus, atque ipsam archam confringere conentur non pavescas, finito diluvio illos rapiet inanis et spinosa silva, atque te fertilis

su-

suscipiet terra. Post finem seculi impii rapientur ad *tenebras exoriores, ibi erit fletus et stridor dentium*, pios suscipiet terra viventium. Nam et ipse Sanctus Noe post finem diluvii obtulit sacrificium Deo, sed de animalibus mundis, et non de immundis. Simul enim et munda et etiam immuuda animalia in archam intrare potuerunt; sed mala ad Sacrificium Dei non pervenerunt. Sed iam hinc aliquando transeamus ut cetera perscrutare valeamus. Procedat in medium Sanctus ille Abraam et suo nos doceat possidere exemplo virtutem caritatis quae omnia credit; qui non est cunctatus ad unam vocationem relinquere patriam, sedem, domum, familiam. Omnia relinquuntur ut Domino praecipienti pareatur. *Exi*, inquit Deus, *de cognatione tua, et de domo tua, et veni in terram quamcumque ostendero tibi*. Nec apud se cogitavit iste Sanctus et dixit, quo eam, cui me committam, in quam terram vadam? sed ut audit, surgit, currit, festinat, accelerat. Terram promissam non videt, sed credendo

dendo eam firmiter retinet. Ambulat recto itinere, nec oberrantibus vestigiis alibi quam debuit declinavit, quia qui eum ad ignotam terram mittebat, ipse, inquam, qui mittebat, non dimittebat, nec eum ipse fefellit. Redditur merces credenti, ad terram pervenit; dilatatur, multiplicatur, ex paupere efficitur dives, ex ignobili potens, ditatur omnibus bonis, et in illo impletur quod Dominus in Evangelio suis Discipulis promisit dicens: *Si quis dimiserit Domum, aut agrum, aut parentes causa nominis mei in hac vita, centuplum accipiet, et in futuro seculo vitam consequetur aeternam.* Cumulatur adhuc huius fidei merces, et seni promittitur Filius. Adest illi virtus Caritatis quae omnia credit, audit, exultat, amplius diligit, suscipit filium de coniuge sterili, quam spe pariendi destitutam sterilitas aetasque iam fecerat, atque in illo Benedictionem omnium gentium promissam firmissime tenet; sed adhuc eum caritas probat, probatumque commendat; et quemadmodum nihil Deo praeferat posterius monstrat. Vocat eum Dominus

de Coelo dicens: *Abraham, Abraham*, et ille tamquam servus obediens, *ecce adsum*, ait: et Dominus, *accipe*, inquit, *filium tuum illum quem diligis Isaac, et vade in terram excelsam, et offeres eum holocaustum in unum montium quem dixero tibi*. Neque hac quidem iussione turbatur aut frangitur servus fidelis. Adest enim ei Virtus Caritatis quae omnia credit. Surgit, domum pergit, asinum stravit, ligna concidit, gladium et ignem sumit, puerum simul adducit, et pergit ad locum. Nunc intentus factus Isaac patrem interrogat dicens, *Pater*, ait, at ille, *quid est Fili?* et Filius: *ecce*, ait, *ignis et ligna, ubi est ovis quam immolaturus es ad holocaustum?* et pater respondit: *Deus providebit sibi ovem ad Sacrificium, Fili*. Magnum hoc et grande video Sacramentum. Aliud Abraham corde gestabat, et aliud Filio promittebat; sed neque quae promittebat filium fallebant, neque aliqua infirmitas cor eius a proposito immutaverat. Quid plura? pergit viam, videt locum de longe et statuens pueros suos ibi, eis talia verba profert dicens: *Se-*

dete

dete hic cum asino, ego autem et puer ibimus usque illuc, et cum adoraverimus revertemur ad vos. O Sancte Abraham quid est quod dicis cum aliud tibi de puero gerendum sit? Numquid aut te, aut tuos fallis? Non, inquit, sed quod prophetice vel dico vel gero virtus Caritatis est in me manens quae omnia credit et facit, et dicit. Audio enim eam sine strepitu vocis intus ad cor loquentem et dicentem mihi. Tu quidem licet resurrecturum credens pleno et perfecto voto puerum ducas immolandum, filius tuus in isto Sacrificio non cremabitur, quia resurrectio Dei filio reservatur. Merito huius viri fidem Iacobus Apostolus commemorans ait: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam, et amicus Dei appellatus est.* Amicos ut novimus coniunctio animorum facit. Unde quidam sapiens huius mundi ait: *Velle atque idem nolle ea demum firma amicitia est.* Ergo amicos, ut novimus, coniunctio animorum facit: quemadmodum autem iste Sanctus coniunxerit animum Deo, ut eius amicus appellaretur

tur iuvat nosse. Sicut enim Deus pater unico Filio non pepercit, sic iubente Deo ut immolaretur ei filius quem dederat illi, devoto is corde obtulit eum. Sed quae sequuntur videamus; delectat enim nos adiuvante domino huius historiae plenam vobis reddere notionem. Postquam relictis pueris ad locum Sacrificii Pater cum Filio venit, aram constituit, ligna composuit, deponit humana paternae pietatis indicia, induitur Sacerdotis devota constantia, educit giadium ut perimat filium. Quid vobis videtur, fratres? Nihil hic sentimus humanum: immo totum cognoscimus divinum; sed et ille filius qui paulo ante ovem requirebat, sub ingenti silentio talia in se fieri sentiebat, et ita patiens invenitur, tamquam iam ille esset, qui sicut ovis ad immolandum ductus est; et tamquam agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. O et tu, Sancte Isaac, indica nobis silentii huius tam grande secretum. Paulo ante nihil in te fieri sentiebas, et a Patre arietem requirebas; nunc autem manibus ligaris,

ris, in aram imponeris, ligno quodammodo suspenderis, et modo taces? Taceo, inquit. Dic quare? obsecro noverimus: Vultis nosse, ait, quare modo taceo? Quia figuram illius gesto qui voluntate ponit animam suam non necessitate. In hoc tam grandi et mystico Sacramento fidei et Abraham sanctus apparuit probatus, et filius in praesenti est liberatus. Si qua es anima quae cupis sequi vestigia fidei patris nostri Abraham, exi de Terra tua, et cognatione tua: relinque populum tuum, et domum patris tui, id est fideliter renuntia diabolo, pompis eius, et angelis eius, et sequere viam rectam quae te perducat ad terram in qua ditescas et emineas, et efficiaris socius Abrahae. Sed cum ista omnia feceris, si virtus caritatis quae omnia credit est in te adhuc tentabit te et probatum coronabit te, expetit a te sacrificium dilecti tui. Quid a te expetit? Quod Abraham illi dictum est: Da mihi unigenitum dilectum tuum. Tibi dicit sapientia, da mihi, fili, cor tuum, ipse est dilectus unicus; quid metuis offerre cor

tuum?

tuum? Offer sacrificium contritionem cordis domino deo tuo, et dic cum propheta, *holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Nihil metuas tali Sacrificio oblato, et tibi acceptum erit, et quod obtuleris integrum permanebit. Aliam Virtutem Caritatis quae omnia superat placet nunc inspicere, quam superius plebi Israel et patribus nostris assignasse cognoscimus. Eius namque virtutis vox est in versu illo prophetico: *In te speraverunt Patres nostri, speraverunt et liberasti eos.* Et ipsi ex Aegypto fugere iubentur, terra eis lac et mel fluens promittitur, per mare rubrum transeunt, ad heremum veniunt, ducebat eos spes caritatis ut discerent Deum amare gratis. Redditur his merces fidei; non enim potest non reddere qui se dignatur fecere debitorem. Post heremum mella e petra fluxerunt; panem coeli manducaverunt; non sunt privati a desiderio suo quod speraverunt, terram etiam promissionis acceperunt. Exurgat anima quae huius caritatis virtute

tute comprehensa est: effugiat ex Aegypto, idest ex huius seculi desiderio, pergat ad mare rubrum, scilicet Christi Baptismum; ideo rubrum quia Christi Sanguine purgatum. Persequantur hostes, peccata scilicet cum suo auctore diabolo, tamquam ex Aegypto cum suo Rege Pharaone saeviant, sequantur fugientes, quid metuis? Usque ad aquam saevient; Ingredieris tu, Ingredientur et illi post te, sed aqua retro conversa illis erit in perniciem, tibi proficiet ad salutem. Illos obruet, te abluet, illos damnabit, te liberabit. Post hoc suscipies mel de petra quo famem et sitim tuam saties; *Petra enim erat Christus*, ex cuius praeceptis tamquam ex fontibus dulcedinis satieris; gustabis etiam panem, illum scilicet, qui dicit: *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi*. Gustabis et videbis quoniam suavis est Dominus, et si in te eminet virtus caritatis quae omnia sperat per heremum necesse est te transire, idest utaris hoc mundo tamquam non utens, et in hac vita peregrinum te noveris esse, si terram promissionis cupis intrare; haec

terra

terra est de qua Propheta cantat et dicit: *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Ultima virtus caritatis restat quae omnia sustinet, et nunquam cadit. Hanc ipsi capiti nostro Domino Iesu Christo convenire novimus, et ideo in ultimo ponitur, *quoniam finis legis est Christus*. Quanta autem ipse pro nobis sustinuit puto caritatem vestram ignorare non posse. Tamen exinde aliquid dicam, si tamen de tanto aliquid digne dicam. Prius illud quod Deus homo, quod Verbum caro factum est, quod multa bona fecit, et mala perpessus est, quod mortuos suscitavit, et mortuus est; quod singulari illa patientia pertulit diabolicum tentatorem, discipulum traditorem, quod ipsum Iudam priusquam traditorem pertulit furem, et ante experimentum vinculorum, crucis, ac mortis labiis eius dolosis non negavit osculum pacis. In ipsa autem morte quanta sustinuit? pertulit odiorum flammas, ministras pessimi cordis linguas. Clamaverunt Iudaei, Crucifige Crucifige, et ut rei manerent Iudaei innocens ab eis crucifixus est Filius Dei:

ad Crucem ducitur, expalmatur qui est palma avictoriae, spinis coronatur qui spinas peccatorum nostrorum venit confringere; ligatur qui solvit compeditos; ligno suspenditur qui erigit elisos; aceto potatur fons vitae, disciplina caeditur, salus vulneratur, vita moritur, occiditur ad tempus vita a morte, ut in perpetuo a vita occidatur mors. Quid hic Iudaei in hac morte Christi? exultaverunt quasi victores, et dum terrenum et caducum Regnum timuerunt perdere, Regem Coeli et terrae non dubitaverunt occidere. Sed nec sicut putaverunt, victores extiterunt. Si enim vicerunt, Regnum quomodo perdiderunt? quomodo nunc usque servi remanserunt? Ista namque causa est qua Cristus ab eis occisus est. Dixerunt namque apud se Principes Iudaeorum, ut Evangelista narrat: *Videtis*, inquiunt, *quia totus mundus post eum abiit*; *si dimiserimus eum vivere*, *venient Romani et tollent nobis et locum et Regnum*; et Christum occiderunt, et locum et Regnum perdiderunt. Quid vobis profuit, o insani Iudaei, quod tantum scelus com-

misistis? Nunquid quia Christo Domino, ut decuit, servire noluistis: facti estis mali servi bonorum servorum Christi: Per ipsos conterit contumaciam vestram, per ipsos dissipat consilia vestra, per ipsos tribuit scelera in capita vestra. Ipse autem Dominus quem vos interemistis non vos servos, sed liberos esse cupiebat quando dicebat: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*; vos autem Deum et Dominum Regem, et ipsam veram libertatem non solum repudiastis, verum etiam negare cupientes clamastis: *Non habemus Regem, nisi Caesarem.* Sed ne in hoc quidem gloriemini quod Christum occidistis, actum est de vobis potius et nescitis. Audite ipsum Dominum dicentem per prophetam: *Ego dormivi et somnum coepi*, somnum appellans mortem a vobis illatam. Ceterum qualis mors potuit esse triduana; maxime illius qui per eundem prophetam alio loco dicit: *Numquid qui dormit non adiciet ut resurgat?* Ego inquit, dormivi, ego qui potestatem habeo ponendi animam meam, ego dormivi non quia saevistis, non quia insanistis; ego imple-

implevi quod volui, vos in scelere remansistis. Quis exigit tanta de Deo nostro, fratres, pro nostra redemptione et salute, nisi caritas quae numquam cadit? O caritas quae magnas vires habes, et de coelo Deum deposuisti; o cara sanitas o sancta et vera caritas quae tanta es in terris quanta eris in coelis? quae tantum potes in hac pugna mortalitatis adhuc sollicita, quantum poteris in illa perfecta pace secura? Evigila itaque omnis anima Christiana, et si in te eminet Virtus Caritatis quae omnia sustinet, domini tui imitare vestigia. *Christus enim*, ait Apostolus Petrus, *pro vobis passus est relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia eius*: et si ille propter te de coelesti sede ad terrena descendit, tu propter te terrena fuge, appete coelestia. Si dulcis est mundus, dulcior est Christus; si amarus est mundus, pro te omnia sustinuit Christus. Via tibi factus est ipse salvator, surge, ambula, habes quo; noli pigrescere; sed forte quaeris quo? Vides enim viam et quaeris quo ducat haec ipsa via? Ad veritatem et ad vitam. Si amas veritatem, si

amas vitam, et cupis ad veritatem, et ad vitam venire, a via noli errare. Video, inquis, viam et cupio ambulare; sed amara est: *arcta enim via et angusta est quae ducit ad vitam;* Christus transivit, et adhuc aspera est? transierunt senes, transierunt iuvenes, transierunt puellae quae viam quam times et horres tritam tibi fecerunt. Ambula ergo viam securus: ambula, quid enim metuis in hac via? mortem? et mortem times qui ad vitam curris? Bonus es; bene in hac vita curris. Mors tibi ianua est quae te repraehesentat non quae auferat vitam. Ambula ergo viam, immo ipse qui propter te factus est via, ipse te ducat per se ipsum; Ipse est enim *via, veritas, et vita*. Dic ergo tu o anima fidelis et pia, dic secura, dic et cum Propheta veraciter exclama: *Deduc me Domine in via tua, et ambulabo in veritate tua*: tunc ad te securus perveniam; si usque in finem tuam gratiam non deseram. Haec fratres dilectissimi, quae a Domino ipsius Caritatis dicta sunt sanctitati vestrae, ita haereant sensibus et cordibus vestris, ut eadem ipsa Caritas fructum in vobis operis inveniat non folia laudis.

HO-

HOMILIA
S. AUGUSTINI EPISCOPI

In Dominica II. Adventus.

ECce ex qua Tribu nasciturus esset Christus ex Lectione Evangelica docemur. Ex David autem stirpe secundum carnem futurum esse, ita praenuntiatum est in Psalmis: *Iuravit Dominus David in veritate, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et rursum: *semel iuravi in Sancto meo si David mentiar, semen eius in aeternum manebit, et thronum eius sicut sol in cospectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in Coelo fidelis.* Et item in Libro Paralipomenon: *et factum est verbum Domini ad Nathan Prophetam dicens: Vade et dic servo meo David: Haec dicit Dominus: adnuntio tibi quod aedificaturus est domum sibi Dominus; cumque impleveris dies tuos ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis,*

et

et stabiliam regnum eius. Ipse aedificabit mihi domum, et firmabo solium eius usque in aeternum. Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium, et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit; et statuam eum in domo mea, et in regno meo usque in sempiternum, et thronum meum firmissimum in perpetuum. Haec omnia qui in Salomone putat fuisse impleta multum errare videtur; nam qualiter in Salomone intelligendum est quod dictum est: postquam dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum eius? Nunquid de illo Salomone creditur prophetatum? minime; ille enim vivente patre suo coepit regnare; nam hic dicitur; quia cum impleti fuerint dies tui, et dormieris cum Patribus tuis, suscitabo semen tuum; ex quo intelligitur alium fuisse promissum, qui non ante mortem David, sed post mortem eius praenuntiatus fuerit suscitandus, qui aedificaret domum Domini non de parietibus manu factis, sed de lapidibus

vivis et pretiosis, idest Sanctis et fidelibus, nam et illud quod subiecit: fidelis erit domus eius, et regnum eius usque in sempiternum coram me, adtendat et aspiciat quisquam non de Salomone esse praenuntiatum, Salomonis namque domum fuisse plenam mulieribus alienigenis colentibus Idola, et ipse ab eis Rex idololatriae seductus, atque deiectus, qui dum bonus fuisset in initio, malum exitum habuit. Ergo quis est iste cuius domus est fidelis in perpetuum, et qui post mortem David promittebatur suscitandus? Ille est utique de quo ipse David in psalmo octuagesimo octavo aestuans et proclamans dicit: *Tu vero distulisti Christum tuum*. Non est ergo Salomon, sed nec iste David, sed dilatatus est Christus. Ecce apparuit certe promissiones praedictas non in Salomone, sed in Christo Domino nostro, qui ex David genere ortus est, fuisse completas, de quo per Hieremiam ipse Dominus dicit: *Ecce dies veniunt, et suscitabo David germen Iustum, et regnabit Rex et sapiens erit, et faciet iudicium et Iustitiam*

tiam super terram. In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter, et hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus Iustus noster. Et Isaias de Christo quia ex semine David natus est secundum carnem sic in consequentibus prophetiae suae dicit: *In die illa radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit Sepulcrum eius gloriosum.* In signum populorum stat radix Iesse, quoniam Christus signaculum Crucis ex primit in frontibus eorum. Ipsum gentes deprecabuntur, quod iam obtutum cernitur fuisse completum. Sepulcrum autem eius in tantum est gloriosum, ut excepto quod redempti per mortem eius gloriam exhibemus, etiam locus ipse coruscans miraculis gloriae suae, ob eam causam ad se omnem contrahit mundum. Hic locus in Hebraeo habet: *et erit requies eius gloriosa*, utique quia moriens caro eius non vidit corruptionem, secundum sententiam Psalmi, quia *non est derelicta anima eius in Inferno*, nec datum est *Sanctum* eius *videre corruptionem*. Iste est qui

per

per Nathan ex semine David promittitur, qui etiam et per Isaiam prophetam ita praenuntiatur: *egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius adscendet*. Haec virga de radice Iesse Virgo Maria est, de radice David exorta, quae genuit florem Dominum Salvatorem, de quo etiam sequitur: *et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini*. Ideo autem tanta dona spiritus super eum praedicantur, quia in eo non ad mensuram habitat Spiritus sicut in nobis, sed tota inest plenitudo Divinitatis et gratiarum. Iste est *qui non secundum visionem oculorum, et auditum aurium iudicat, sed est iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius*; in cuius Ecclesia habitat lupus cum agno; ille utique qui solebat ab eo rapere predam, et dum ad eam convertitur cum innocentibus commoratur; in cuius ovili pardus cum hoedo accubat, permixti scilicet subdoli cum pec-

catoribus, ibi vel etiam vitulus ex Circumcisione, leo ex seculi potestate, oves de populari ordine simul commorantur, quia in fide communis est commixtio omnium. Puer autem parvulus minans eos ille est utique qui se humiliavit pro nobis in parvulis. Bos autem et Leo simul comedent paleas, quia Principes cum subiectis plebibus communem habent doctrinam. Delectatur quoque infans ab ubere super foramine aspidis, dum gentes quae solebant venena praedicare aliquando conversae, etiam parvuli Christi fidem delectantur audire; caverna enim Reguli corda sunt infidelium, in quibus ille serpens tortus requiescebat, quem ablactatus comprehensum exinde captivum traxit, ut in monte sancto eius, quod est Ecclesia, non noceceret. Iam vero quia ore prophetico de Mohab nascenti Christo perhibeatur testimonium, idem Isaias testatur, *Ponam*, enim inquit, *super his qui fuerint de Mohab leonem, & reliquis terrae; emitte Agnum Domine dominatorem terrae de petra deserti ad montem filiae*

filiae Sion. De hac enim gente Mohabitarum egressus est agnus immaculatus qui tollit peccata mundi, qui dominatur in orbe terrarum. Petra autem deserti Ruth significat quae, destituta morte mariti, de Booz genuit Obed, et Obed Iesse, et de Iesse David, et de Davidica stirpe natus est Christus. Montem autem filiae Sion aut historialiter ipsam urbem Hierosolymam dicit, aut iuxta tropologiam Ecclesiam in specula, idest in virtutum sublimitate, collocatam.

IN

IN
CIRCUMCISIONE DOMINI

Sermo S. Augustini Episcopi,

INcarnationis Divinae mysterium, nostraeque recordationis egregium sacramentum ob hoc a nobis annua revolutione celebratur et colitur, ut tanti commemoratione beneficii quod nobis indignis fuerit impensum ostendat, et quid tantae gloriae debeamus admoneat. Proinde, fratres, quantum audivimus Dominum Iesum Christum pro nobis misericorditer humiliatum, tanto magis agnoscamus ineffabiliter gloriosum; in quo namque suam circa nos insuperabilem caritatem Dei Unigenitus evidenter ostendit, in quo pro nobis humilitatem verae carnis, veraeque mortis, non coactus necessitate sed bonitate miseratus assumpsit. Quid enim boni feceramus, fratres, ut tantum nobis beneficium praestaretur? Quae nostra bona merita fuerunt ut Unigenitus

Dei

Dei homo fieri dignaretur, ut Altissimus immolaretur, ut indeficiens Angelorum panis foemineis uberibus lactaretur, ut seculorum rex contumeliis afficeretur, ut vita aeterna mori patientissime dignaretur? Attende igitut homo tantae benignitatis dignationem, ut gratiarum persolvas humiliter actionem. Scito autem te non honorificientiam, sed contumeliam Divinae gratiae reddere si coeperis de tanti beneficii magnitudine dubitare; immo illa omnia quae de humilitate atque humanitate Domini Salvatoris audivimus, vera esse sine aliqua haesitatione credamus. Et ideo magis gratias agamus, fratres, qui cum mereremur poenam percepimus gratiam, qua gratia factum est ut dum mors debetur perditis, vita gratis donaretur indignis. Altissimi namque Salvatoris humilitas non ipsi aliquod intulit detrimentum, sed incrementum nobis contulit magnum, nec excelsum deiecit, sed deiectos erexit; ut enim plenum Dei filius operaretur Redemptionis nostrae negotium, non solum dignatus

est

est creator totius carnis de carne Virginis secundum veritatem carnis naturaliter nasci, et Deus factor hominis homo verus ex homine fieri, quin etiam pannis involvi, in angustissimo praesepio humanis manibus baiulari. O clementissimi Dei gloriosa benignitas, o Altissimi Dei excelsa humilitas! Ille a Matre nutriebatur infantulus, qui matrem sibi creavit immensus; ipse a Parentibus in suum templum puer parvulus portabatur, qui Deus magnus in eodem templo a sanctis hominibus rogabatur; et idem pro se sacrificium praecepit offerri, qui sine peccato pro nostris venerat impietatibus immolari. Considera igitur homo quid debeas excelso Creatori tuo, humiliato Redemptori tuo. Verumtamen, carissimi, hoc semper Christianae fidei tenere consuevit integritas, ut si quid a Christo secundum canonicam Evangelistarum narrationem factum legimus, vel audimus, historiam primum veram esse sine dubitatione credamus, deinde in historica veritate spiritualem quoque intelligentiam requi-

quiramus. Cum enim Divinae textus historiae verus esse creditur, Manichaeus in sua severitate confunditur, qui dum in Christo Dei filio veritatem non credit carnis, Scripturis sanctis et veteribus et novis crimen nititur imponere falsitatis. Nam cum veteris Testamenti Deificam miser execratur historiam, in novo Testamento ipse sibi denegat utique medicinam. Non vult enim credere humanam carnem a Deo plasmatam, neque circumcisionem carnis imperatam a Deo nostro Sanctis Patribus, nec victimam de carnibus animalium Deo vivo et vero priscis temporibus immolatam, nec sabbatum ex Dei praecepto ac voluntate servatum, nec Domino templum, Deo iubente, fabricatum; itaque dum in Scripturis Sanctis non discernit temporum qualitatem, spernit et despicit Dominicae Incarnationis saluberrimam veritatem. Quapropter ut Manichaeus evidentissima ratione vincatur, et victus utinam convertatur, ex hodierna Evangelica lectione veritatem Testamenti veteris defendamus, ut ex hoc

et

et veteris et novi Deum unum manifestissime comprobemus. Ecce Sancto Evangelista narrante cognovimus Christum Dei Filium verum hominem natum, Christum Dei filium veraciter circumcisum, pro Christo Dei filio Sacrificium de carnibus secundum morem tunc divinae Institutionis oblatum; sive autem circumcisio carnis, sive carnalium sacrificiorum regula, in veteri Testamento cognoscitur instituta. Cur igitur, dilectissimi, non credatur iustissime in veteri Testamento quoniam Dei manibus plasmatus est homo, quando in novo Testamento ut non in aeternum periret homo ipse Unigenitus Dei pro nobis factus est verus homo? Cur non credatur Deus etiam circumcisionem carnis ad aliquid significandum congruo tempore iussisse fieri, cum eam Dei filius in suo corpore fecerit celebrari? Cur autem non sibi Deus noster praeterito tempore populum Iudaeorum typicas iussisset victimas carnis offerre, quando ipse Deus unigenitus ex Iudaeis temporaliter natus se ipsum pro nostris peccatis secundum car-

carnem dignatus est immolare? Attendat igitur Manichaeus utriusque Testamenti manifestissimam, et concordissimam veritatem, et conversus suam abiciat vanitatem. Videat in veteri Testamento significationem futurorum, in novo revelationem praeteritorum; Christum autem Deum amborum Testamentorum, in veteri Testamento quod exhibiturus fuerat promittentem, in novo quod promiserat exhibentem, nec in promissione mendacem, nec in donatione fallacem, sed ubique bonum, ubique iustum, ubique sanctum, ubique potentem, ubique clementem. In veteri Testamento carnis, atque humanae animae potentissimum creatorem; in novo eiusdem carnis atque animae clementissimum susceptorem, ac sic primo carnis animaeque factorem; postmodum vero carnis animaeque salvatorem. Haec Manichaeus audiat, conferat, agnoscat, et credat, credensque ad Ecclesiam Catholicam redeat, in qua beneficium verae salutis inveniat. Per haec autem quae Dominus gessit in corpore constitutus non so-

lum utriusque Testamenti dignatus est, concordiam demonstrare, verum etiam Christianorum mores salubriter voluit informare, ut quod in illo pro nostra salute gestum corporaliter intuemur, nos quoque spiritualiter imitemur. Ideo nam parvulus in terra natus est Christus, ut humilitatem disceret Christianus; ob hoc etiam parentibus carnis suae subditus erat, ut honorificentiam semper patri et matri omnis Christianus exhibeat. Ideo autem Christus vilibus involutus est pannis, ut Christianus non declaretur vestibus pretiosis; propterea vero Christus in terra pauper voluit apparere, ut divites Christiani discerent terrenas divitias non amare, sed heleemosinas pauperibus erogando possent suas divitias in coelo servare. Per circumcisionem vero quam Dei Filius in carne suscepit, nostri cordis circumcisionem in spiritu praemonstravit, quam circumcisionem nobis sermo legalis indicit, dicente Moyse: *circumcidite praeputium cordis vestri, et circumcidimini Domino Deo vestro*. Cui praecepto concordat

Bea-

Beatus Paulus Apostolus dicens: *non enim qui in manifesto Iudaeus, neque quae in manifesto in carne circumcisio, sed qui in abscondito Iudaeus, et circumcisio cordis in spiritu non littera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Proinde circumcisionem in corpore habuit Christus, ut spiritualiter in corde habeat Christianus, ob hoc namque ille qui nullum habere potuit omnino peccatum, deposuit praeputium carnis, ut nos abiciamus desideria pravitatis. Christus igitur manibus est portatus ad templum, ut Christianus bonis operibus conscendat in Coelum. Sacrificium pro se offerre voluit Christus ut ad Altare Domini se offerat Christianus; maxime autem bene vivendo se ipsum Deo offerre festinet, et mundum sacrificium se divinis obtutibus curet exhibere; in ipso enim pro Christo oblato sacrificio, quoddam spirituale sacrificium nobis agnoscimus indicari. *Par*, inquit, *turturum, et duos pullos columbarum*. In hoc genere avium, dilectissimi fratres, magnum nobis commendatur Catholicae fidei Sacramentum;

tum; in columba enim Caritas agnoscitur, et in turture castitas invenitur. Turtur namque servat intemeratam uni viro fidem, columba vero aliarum cohabitantium non deserit unitatem. Christianus igitur tunc vere spiritalis turtur efficitur si veram Trinitatis fidem firma credulitate conservet, et haereticae pravitatis sensum tamquam fornicationis inquinamenta repudiet. Tunc vero erit columba si longanimiter usque in finem in catholica societate permaneat, et contra tentationis scandala immobili firmitate consistat, ut nec haeretica fornicatio corrumpat in corde fidei castitatem, nec amara dissensio Ecclesiasticae caritatis dissipet unitatem; haec enim catholica Ecclesia est, quae fidem uni Deo tamquam legitimo viro reservat, et congregationem multorum in caritate multiplicat. In hac turture et columba, dilectissimi fratres, sollicite permanete, hanc caritatem vobis omnibus custodite ut eam nec Arrianus violet, nec Donatista conculcet, nec Manichaeus coinquinet; hi enim, velut accipitres mali,

li, unitatem columbae cupiunt dissipare, et castitatem turturis desiderant violare. Nam Manichaeus in Christo veram non credit carnem; Arrianus veram in eo minuit Divinitatem; Donatista vero dissipat Catholici corporis unitatem. Manichaeus Sacramentum non videt Redemptoris, Arrianus magnitudinem non cogitat Salvatoris, Donatista vero tamquam lupus rapax, boni non dnbitat gregem dissipare pastoris. Hi ergo, sicut dixi, tamquam accipitres mali miseros et vanitatis cupidos, aut veritatis ignaros occidere cupientes persequuntur columbae caritatem, execrantur turturis castitatem, et quos possunt aut ore devorant, aut unguibus lacerant, idest aut sermonibus depravant, aut persecutionibus cruciant. Vos ergo, dilectissimi Fratres, in fide custodite catholicam veritatem, in caritate servate catholicam pacem; ille enim gratum Deo offert Sacrificium qui caritatem fraternam, et verum Catholicae fidei servaverit Sacramentum, ubi unus Deus, una Trinitas colitur, nec Pater ma-

ior

ior Filio est, nec Patre minor, secundum Divinitatem, Filius praedicatur, nec ab eis discernitur substantia Sancti Spiritus, qui cum Patre et Filio naturaliter unus est Deus. Una est enim Trinitatis Sanctae potentia, quia in tribus Personis una manet naturalis substantia; una est enim potestas, quia una maiestas, una Creatoris dominatio, quia una creaturae conditio; quidquid enim Pater creavit, per Filium fabricabit, et in Spiritu Sancto firmavit, Filius autem natus est de gignente, Spiritus Sanctus procedit de permanente; nec tamen nascendo filius divisit Patrem, nec spiritus procedendo minuit Deum, quia nec auget haerendo cum nascendo Filius non est minoratus, nec Spiritus Sanctus procedendo est separatus, in se enim Beata illa Trinitas manet, quia ibi substantialiter unitas permanet; et quoniam nihil est in Trinitatis Divinitate creatum, propterea ibi nihil est utique separatum. Haec, dilectissimi fratres, fideliter tenete, in his iugiter permanete. Haec sit in corde cogitatio,

tio, haec in ore confessio. Tenete fidem quam accepistis in nomine Trinitatis, servate unitatem spiritus in vinculo Pacis, ut Turtures et Columbae spiritualiter in Domo Dei semper esse possitis.

HO-

REMIGII AVTISSIODORENSIS

HOMILIAE.

HOMILIA I.

REMIGII AVTISSIODORENSIS

IN ILLUD MATTHAEI

Sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet in occidente, ita erit & Adventus Filii hominis.

NOmine quoque Orientis et Occidentis totum orbem terrarum voluit significare, per quem Sancta Ecclesia futura erat, incipiente Evangelio ab Hierosolymis. Congruenter enim his verbis monuit Dominus discipulos suos, immo omnes fideles ut quicumque in eum credere voluerit, iam Ecclesia in orbe terrarum constituta, et clara facta non credat haereticis, neque schismaticis; unumquodque enim schisma, et unaquaeque haeresis suum locum habuit in orbe terrarum, et suas partes obtinuit, vel certe ipsi haeretici secretis et occultis suis conventiculis imperitos quosque quos poterant decipiebant. Ad hoc enim pertinet

tinet quod Dominus ait: *Si quis vobis dixerit ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere*, quod significat partes terrarum et provinciarum. Quod autem subiungit: *ecce in deserto est, nolite credere*, significat occulta et secreta conventicula haereticorum. Quod ergo Dominus dicit adventum suum perventurum ab oriente usque in occidentem, adversus illos haereticos valet qui per particulas orbis terrarum commorabantur, et tantum apud se Christum esse dicebant. Quod autem ait *sicut fulgur* adversus illos valet qui occulte congregant tanquam in penetralibus, et paucos tamquam in deserto. Et hoc sciendum quia demonstratur his verbis quoniam secundus Domini adventus non erit in humilitate sicut primus, sed demonstrandus est in claritate sicut fulgur, ac si patenter diceret: stultum, quippe est in aliqua parte terrarum, aut aliquo loco secreto et occulto quaerere qui lumen est totius orbis. Et ne nos ignari essemus illius loci quo ipse erat venturus ideo subiunxit: *ubicumque fuerit corpus*,

pus, illic congregabuntur et aquilae. Et est sensus ubi ergo corpus assumptae humanitatis potentia divinitatis sublevavero in coelum illuc congregabuntur aquilae, idest animae electorum. Et pulchre animae electorum aquilis assimilantur, quoniam sicut aquilae semper alta penetrant, sic et animae electorum ima et terrena despiciunt et coelestia appetunt; unde Dominus dicit de Iob: *numquid ad imperium tuum sublevabitur aquila?* Spirituales namque viri humilitatem et passionem Domini imitando pulchre aquilae vocantur, quia quasi de eius corpore satiantur; quod corpus etiam cadaver dicitur, quia per mortem cecidit, cadaver enim dicitur a cadendo. Nonnulli vero hanc sententiam ita intellexerunt historialiter: *ubicumque fuerit corpus*, idest ubicumque fuerit corpus meum crucifixum, et ubi hostiae obferuntur, illuc congregabuntur aquilae, idest Romanorum milites. Quid est enim quod Dominus dicit: *statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum:*

quid

quid enim magni est quod Dominus haec signa secundum suum adventum dixit praecedere, cum multoties haec signa etiam ante primum suum adventum facta fuisse legantur in libris gentilium, et Philosophorum dictis? Aut cur dicit solem et lunam esse obscurandam, et stellas casuras de coelo, ut stellae adeo fixae maneant ut cadere nullo modo possint? Quomodo enim sol obscurabitur; et luna non dabit lumen suum, cum Isaia loquens de futura Resurrectione dicat: *erit lux Lunae ut lux Solis, et lux Solis septempliciter ut lux septem dierum?* Congruentius ergo hoc dictum intelligi potest de Ecclesia; ipsa quippe est Sol, ipsa est et Luna, in ea etiam sunt Stellae; et quod Luna sit et Sol manifestat Salomon qui dicit: *Speciosa ut Luna, electa ut Sol.* Impiis namque persecutoribus ultra modum saevientibus, et felicitate mundi sibi arridente dicentibus pax, pax, et securitas, sol obscurabitur, et Luna non dabit lumen suum, quia Sancta Ecclesia non apparebit, et Stellae cadent de

de Coelo, quia illi qui gratia Fidei et ceterarum Virtutum veluti Stellae fulgere videbuntur corruent a fide, quoniam facile ab Antichristo decipientur. *Et virtutes Coelorum commovebuntur*, idest firmissimi in Ecclesia perturbabuntur, quod manifestat Ioannes in Apocalypsi cum loquitur de dracone magno dicens: *et trahebat tertiam partem stellarum in cauda sua*. Hinc est etiam quod Dominus de Beemoth loquitur ad Iob dicens: *sternet sibi aurum quasi lutum*. Quod autem dicit: *statim autem post tribulationem dierum illorum* non intelligendum est quod peracta tribulatione haec fieri debeant, sed incoata et adhuc imminente; praecedet enim tribulatio, ut plurimorum sequatur defectio. Et quia per omnes dies erit illa tribulatio, idcirco Dominus ait: *tunc apparebit signum Filii hominis in Coelo*. Signum filii hominis potest intelligi Signum Crucis, ut secundum Zacariam et Ioannem *videant* Iudaei *in quem pupugerunt*; sive potest intelligi vexillum fidei, et victoriae triumphantis, *et tunc plangent omnes tribus terrae*. Illi vide-

videlicet plangent, qui non habuerunt municipatum in Coelo, sed eorum nomina scripta erunt in terra. Sequitur: *et videbitis Filium hominis venientem in nubibus coeli*. Haec sententia duobus modis intelligi potest; Sancta Ecclesia enim est nubes lucida et candida, fructificans et crescens ex eo quod coepit praedicare: *poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum*; Dominus enim in membris suis quasi in nubibus veniet, sive in corpore suo quod est Ecclesia tamquam in nube lucida et candida, sicut et quotidie spiritualiter venire non cessat. Sed si nubes lucida et candida Sancta Ecclesia est intelligenda, quid est quod dicit: *cum virtute multa et maiestate?* Pulchre quidem dicit cum virtute multa et maiestate, quoniam illa ultima tribulatio quanto maior et gravior erit, tanto maior virtus et maiestas apparebit in sanctis, quibus dabit virtutem ne tanta persecutione superentur. Aliter potest intelligi ita: Dominus enim manifestus veniet ad iudicium in nubibus, in ipso corpore idest quod ex Virgine sum-

sumpsit, et in quo mortuus est, in quo et resurrexit, et ad coelos adscendit, et illud ad dexteram Patris collocavit. Sic enim manifestus ad iudicium in nubibus veniet, quemadmodum in nubibus adscendit. Et quod in nubes adscenderit, manifestatur in Actibus Apostolorum, ubi legitur quia *videntibus* Apostolis *sublevatus est, et nubes suscepit eum, et ferebatur in Coelum*. Et quod in nubibus venturus sit testes sunt Angeli qui mirantibus Apostolis dixerunt: *Quid admiramini adspicientes in Coelum? Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in Coelum*. Veniet enim Dominus cum Virtute multa et maiestate, idest in terrore et claritate; apparebit quippe terribilis et blandus, terribilis ut terreat impios, blandus ut demulceat pios; et mittet Angelos suos *cum tuba*. Haec tuba non revera corporea intelligenda est, sed Archangelorum vox; et pulchre addidit *cum voce magna*, quoniam haec vox adeo magna erit, ut ad clamorem illius omnes mortui de terrae pulvere resurgant. Huius tubae men-

tionem facit Apostolus cum dicit: *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Addit: *et congregabunt electos a quatuor ventis coeli.* A quatuor ventis coeli dicit, idest a quatuor climatibus mundi, hoc est Oriente, Occidente, Aquilone, et Austro; et ne forte aliquis putaret quod solummodo a quatuor partibus mundi, et non a mediterraneis regionibus et locis congregandi essent electi, ideo profecto addidit *a summis coelorum usque ad terminos eorum*, idest a cunctis finibus terrae, ubi longe distantibus circulis coeli, terrae insidere videntur usque ad terminos eorum, per directum et mediterraneum usque ad extremos terminos terrae. Nullus ergo electus remanebit tunc qui venienti Domino ad iudicium non occurat in aere, sive vivus in corpore repertus, sive de terrae pulvere suscitatus ad vitam. Venient etiam reprobi ad iudicium sive vivi in corpore reperti, sive de terrae pulvere resuscitati, sed magna distan-

stantia; sancti enim et electi intrabunt in gaudium Domini sui; inimici autem Domini peracta resurrectione peribunt et dispergentur a facie ipsius. *Ab arbore autem fici discite parabolam*. Quia Dominus multiplicibus verbis et destructionem Hierusalem, et persecutiones Antichristi, nec non et signa sui adventus praedixit, idcirco more Palestinorum venit ad parabolam dicens: ab arbore autem Fici discite parabolam, ac si diceret ut vim verborum meorum arctius intelligatis naturam fici animadvertite. Sub exemplo namque arboris docuit adventum consummationis, et est sensus: Sicut enim cum teneri sunt in arbore ficus cauliculi, et gemma erumpit in flores, et cortex folia parturit veris introitum, et aestatis adventum intelligitis, sic et cum haec omnia videritis non putetis statim adesse diem Iudicii, sed haec quasi quosdam praecursores venire, ut ostendat quia *prope est et in ianuis*. Et notandum quia non ait tantum cum videritis haec, sed addidit *omnia*, quoniam non quaedam, sed omnia quae scri-

scripta sunt debent praecedere diem consummationis. Lucas Evangelista dicit: *His fieri incipientibus respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*, et non debet videri contrarium, quoniam hoc ipsum est quod Matthaeus dicit: *prope est in ianuis*, idest prope ut egrediatur et veniat manifestus ad regnandum cum electis suis. Spiritualiter haec arbor Synagogam significat; haec enim est illa ficulnea ad quam Dominus veniens non invento fructu maledixit ei, et continuo ad verbum ipsius aruit: haec namque arbor idest Synagoga, quia venienti Domino nullum fructum justitiae offerri voluit, atque idcirco perpetua sterilitate damnata est; sed haec quae prius infidelitate aruit, si contigerit ut rediviva viriditate floribus et fructibus decoretur, idest repulsa diuturna coecitate infidelitatis lucem fidei suscipiat, et fructibus bonorum operum exornetur, arbor quae diu sterilis fuerat incipiet reddere fructum quem prius negaverat, iuxta illud B. Iob: *Lignum spem habet, si praecisum fuerit rur-*

rursum virescit, et rami eius pullulant, et si senuerit in terra radix eius, et truncus illius in pulvere mortuus fuerit, rursum ad odorem aquae germinabit, et faciet comam quasi cum primum plantatum est. Hoc lignum, idest Synagoga, quod infidelitate aruit et praecisum est, rursum ad odorem aquae germinabit, idest ad verbum sanctae praedicationis faciet comam quasi cum primum plantatum est, quia praedicantibus Helia et Enoch, ad pristinam dignitatem quam habuit in Patriarchis et Prophetis revertetut. Nos ergo cum viderimus haec omnia fieri, idest Synagogam ad fidem et ad pristinam dignitatem converti, quam olim habuit, debemus intelligere quia prope est dies consummationis. *Amen dico vobis quia non praeteribit haec generatio donec omnia fiant.* Veritas autem veritatis usa est sermone ut omnis dubietas a cordibus legentium vel audientium repelleretur. Generationem autem appellat multitudinem totius humani generis, vel certe illius Iudaici populi, et revera non prius transibit haec ipsa generatio quam

omnia

omnia quae scripta sunt opere compleantur. *Coelum et terra transibunt*: Coelum enim quod transire dicitur non aethereum, neque sidereum, sed aëreum intelligere debemus, a quo aves coeli et nubila vocantur. Quod manifestat Petrus Apostolus cum dicit: qui coeli erant prius et terra de aqua, et per aquam consistens Dei verbo, per quae tunc ille mundus aqua inundatus periit. Coeli enim qui nunc sunt et terra eodem verbo repositi sunt igni reservati in diem iudicii, et perditionis hominum impiorum. Aperte enim Beatus Apostolus Petrus ostendit his verbis, quia non alii coeli igne perituri sunt, quam illi qui prius perierunt. Idest inania ista et nebulosa spatia ventosa aëris, in quibus aves et nubila discurrunt; illuc enim perveniet ignis quo perveniet aqua idest tantum ignis valebit, quantum aqua super omnes montes excrevit, quindecim scilicet cubitis; tantum quippe coelum et terra ardebunt, quantum nostra malitia coinquinari potuerunt. Quaerendum nunc est quare

Domi-

Dominus dicit *Coelum et terra transibunt*, cum Ecclesiastes dicat: *generatio vadit, et generatio praeterit, terra autem in aeternum stat*. Si terra in aeternum stat, ergo et coelum; et si coelum et terra in aeternum stant, quomodo transibunt? Sed sciendum est quia transibunt per melioratione m, et renovationem iuxta illud Ioannis: *Erit coelum novum et terra nova*, sed non transibunt per abolitionem, transibunt quippe per imaginationem, et speciem quam nunc habent, quod manifestat Apostolus cum dicit: *praeterit enim figura huius mundi*; et Psalmista *Mutabis ea et mutabuntur*, sed non transibunt per essentiam quam nunc retinent. Rursus quaerendum est quare Dominus dicat *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt*, cum in rerum natura nihil durabilius sit coelo et terra, et nihil velocius quam sermo transeat. Verba enim quousque imperfecta sunt, verba non sunt, cum vero perfecte formata fuerint, omnino iam non sunt, quia nec perfici nisi transiendo possunt, sed sciendum

dum est quia Domini verba non sonos, non voces, neque litteras appellat, sed ipsas res et sententias quae verbis explicantur. Et est sensus verba autem mea, ipsae res scilicet et sententiae non prius transibunt, quam opere compleantur, quas explicat meus sermo qui transit. Sequitur : *de die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli coelorum, nisi Pater solus*. Marcus Evangelista non solum dicit Angelos nescire, sed etiam et Filium, sic enim ait: *de die autem illa et hora nemo scit neque Angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater solus*. Sed quaerendum est quare ille dicat Filium nescire ista, et solum Patrem scire, cum ipse dicat: *omnia tradita sunt a Patre meo*, et item: *omnia quae habet Pater mea sunt*, et illud: *Ego et Pater unum sumus*. Si enim ipse et Pater unum sunt, quomodo nescit Filius quod scit Pater? Sed ut locus iste sobrie intelligatur videndum est quod sit scire, vel quid nescire. Scire Dei est approbare, unde ait Moisi: *Novi te ex nomine*, idest approbavi. Aliter scire Dei est alios scientes facere, unde

de Moyses dixit filiis Israel : *Tentat vos Dominus Deus vester ut sciat si diligitis eum*, quod non ita accipiendum est quasi sit aliquid quod Deus nesciat; sed *sciat* dicit, idest scire vos faciat quantum in eius dilectione profeceritis, quod aliter cognosci non poterat nisi tentationibus probaretur. Si ergo scire Dei est approbare, nescire illius reprobare est, unde in fine seculi dicturus est impiis : *nescio vos*, idest in doctrina et disciplina mea non vos invenio, non vos approbo. Rursus si scire Dei est alios scientes facere, nescire illius est alios utiliter nescientes facere. Et ideo Beatus Marcus dicit Filium nescire, quia ipse utiliter facit alios nescire diem Iudicii, quod non prodest illis scire; si enim homo diem Iudicii, vel diem mortis cognosceret, aliud tempus deputaret voluptatibus, et aliud poenitentiae, voluit quippe Dominus diem Iudicii omnibus esse occultum, quatenus semper sit suspectus; voluit esse ignotum, ut omnes sint parati et pervigiles. Beatus vero Mattaeus ideo dicit solum Pa-

trem scire, quia nomine Patris vult intelligi et Filium, *quoniam ipse in Patre, et Pater in Filio est;* et Pater dici non potest nisi habeat Filium, neque Filius nisi habeat Patrem. Quia ergo una substantia Patris et Filii, idcirco quod scit Pater, scit profecto et Filius, et quod nescit Pater, nescit et Filius. *Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis.* Subito adventus sui diem Dominus diversis testimoniis confirmavit. Superius comparavit illum fulguri coruscanti, et cito transvolanti; nunc autem aequiparat illum diebus Noe vel Loth, sicut alter Evangelista dicit quomodo omnibus mortalibus repentinus supervenit interitus. Et quia poterant haec verba Domini multipliciter intelligi, et varie discuti, idcirco Dominus per semetipsum exposuit dicens: Sicut erant homines ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptum trahentes. Quod autem dicitur comedentes et bibentes, non iuxta impiissimum dogma Marcionis, et Manichaei, atque Tatiani alimenta condemnantur, neque

bonum coniugii, quorum alterum concessit Deus ad propagandam sobolem, alterum vero ad substentationem huius vitae; sed quia Apostolus dicit: *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, quibus verbis immoderatus usus et appetitus eorum quae licita sunt reprehenditur, et condemnatur. Non enim ideo perierunt quia haec agebant, sed quia his se totos subdiderunt, et propter haec Dei iudicium contempserunt, et ab eo recesserunt, idcirco quia vel igne perierunt. sequitur: *usque ad eum diem quo intravit in Arcam Noe*. Noe interpretatur requies, atque ea significat Christum; arca vero significat sanctam Ecclesiam. Noe Arcam fabricat, quia Christus diversis Fidelibus, tamquam de levigatis lignis sanctam construit Ecclesiam. Perfecte quoque Arcam consummatam Noe intrabit, quia Christus in die Iudicii completo electorum numero Sanctam Ecclesiam praesentia suae visionis illustrabit. Quousque Arca fabricatur impii luxuriantur, et bonis temporalibus laetantur, iuxta illud Salomonis

laetan-

laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis; sed perfecte consummata Arca impii peribunt. Significat autem quia qui hic laborantibus et decertantibus sanctis insultant, eis illic coronatis, ipsi poena aeternae damnationis plectentur. Tunc duo erunt in agro; tunc videlicet cum dies consummationis advenerit. Sed qui sunt isti duo in agro, duae molentes in mola, et duo in lecto, quorum unus adsumetur, et alter relinquetur? His scilicet verbis tres ordines sanctae Ecclesiae demonstrantur, praedicatorum videlicet, et continentium atque coniugatorum, ager namque sanctam significat Ecclesiam. Ergo per duos in agro pulchre designatur ordo praedicatorum, quibus commissus est ager Sanctae Ecclesiae; per duos in lecto ordo continentium, qui otium et quietem eligunt, et neque huius seculi curis, neque terrenis negotiis implicantur, et inde pulchre eorum requies nomine lecti designatur, quia dum a curis istius seculi segregantur, quasi in lecto requiescunt. Per duas molentes

tes in mola designatur ordo coniugatorum, qui dum per diversas curas nunc ad hanc nunc ad illa flectuntur, quasi molam in circuitu trahunt, et quia iste ordo infirmior est in Ecclesia, idcirco pulchre coniugati sub foemineo genere exprimuntur. Quod autem dicit unus adsumetur, et alter relinquetur, non ita accipiendum est quasi de duobus hominibus hoc dictum sit, sed his verbis duo genera affectionum demonstrantur, in his namque ordinibus sunt boni, sunt et mali, sunt iusti et iniusti. Sunt enim plurimi qui pro divino amore et coelestis patriae remuneratione in agro Sanctae Ecclesiae laborant: hi nimirum assumentur ad gaudia aeternae beatitudinis; et sunt e contrario qui pro terrenis lucris, et secularibus negotiis laborant, hi enim relinquentur ad poenam aeternae damnationis. Similiter sunt in ordine continentium qui pudicitiam cordis et corporis pro divino amore servare student, quique bene designantur per Virgines prudentes, illi quippe assumentur ad regnum perpetuae

Bea-

Beatitudinis; et e contrario sunt alii qui integritatem cordis et corporis pro humano favore servant, qui etiam pulchre per fatuas Virgines designantur, isti namque relinquentur ad aeternae damnationis poenam. Sunt et nonnulli in ordine coniugatorum qui praecepta Dei custodiunt, atque ea adimplere satagunt, quatenus Deo placere possint. Hi nimirum adsumentur ad regnum aeternae beatitudinis; et item sunt nonnulli qui non solum praecepta Dei contemnunt, sed etiam diversis sordibus vitiorum coinquinantur, isti siquidem relinquentur ad supplicium perpetuae damnationis. Hi etiam tres ordines pulchre designantur per tres viros quorum meminit Dominus apud Ezechielem Prophetam dicens: *Vivo ego dicit Dominus, quia si fuerint tres viri iusti in medio eorum, idest Noe, Daniel, et Iob non liberabunt filios suos neque filias, sed ipsi soli liberabunt animas suas*. Noe enim arcam rexit in undis unde pulchre significat ordinem Praedicatorum, qui inter fluctus huius vitae praesentis Sanctam Ecclesiam regunt.

gunt. Daniel vero celibem vitam elegit, idest terrenas nuptias contempsit, et semper in aula Regis continens fuit; et ideo bene per illum ordo continentium designatur. Iob autem habuit uxorem, filios et filias; ideo aperte per illum designatur Ordo coniugatorum; quod illic dicit non liberabunt filios, neque filias, hoc est quod hic ait: unus adsumetur, et unus relinquetur.

HOMI-

HOMILIA II.

REMIGII AVTISSIODORENSIS

IN ILLUD MATTHAEI

Ioannes cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de Discipulis suis ait illis ec.

HUius interrogationis Beati Ioannis et responsionis Domini, etiam Lucas Evangelista mentionem facit, sed non in eodem loco quo Beatus Matthaeus, et ideo incertum est quis eorum servaverit ordinem rei gestae, vel quis recolendo descripserit. Sed quaerendum est quare Ioannes Baptista Propheta, et plusquam Propheta positus juxta fluenta Iordanis testimonium perhibuit Domino dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Et item: *Post me venit vir, qui ante me factus est.* et pariter: *qui habet Sponsam Sponsus est*. Et ut suam humilitatem et eius excellentiam demonstraret, alibi dicit: *Qui de terra est, de terra loquitur, qui*

autem

autem de Coelo venit super omnes est. Postea vero positus in carcere misit discipulos suos ad Iesum et interrogavit: *Tu es qui venturus es an aliuni expectamus?* Numquid ignorabat Beatus Ioannes illum esse Dei Filium, cui prius testimonium perhibuerat? Profecto non; sed primo sciendum quia fuerunt nonnulli, qui simpliciter intelligentes hunc locum dixerunt, quod causa ignorantiae interrogaverit. Sed omnino non quasi ignorans interrogavit quem prius confessus fuerat; non enim ignorabat eum Dei esse filium, qui vocem Patris de Coelo intonantis audierat: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui*, et quem in utero matris positus cognovit, sed ignorantiae discipulorum suorum consulere voluit; timebat enim ne Discipuli sui sociarent se Scribis et Pharisaeis, et fierent eorum sequaces. Idcirco misit eos ad Iesum, ut dum sibi videretur quaerere ipsi discerent; et dum viderent eum signa, et miracula facientem, crederent eum esse Dei Filium, et in illum crederent, et intel-

ligerent illum solum esse sequendum et imitandum, quem ipse Ioannes magistrum omnium confitebatur. Dicit Beatus Gregorius Papa quia Beatus Ioannes aliud sciebat, et aliud nesciebat; sciebat enim eum esse Dei Filium, et Agnum qui venerat tollere mundi peccata; verumtamen nesciebat utrum ipse esset moriturus, et ad Inferni claustra descensurus, ut inde abstraheret suos electos qui indebite detinebantur, an alium pro se mitteret, qui genus humanum redimeret; et ideo misit Discipulos suos ad Iesum ut per omnia officium suae praecursionis impleret, ac si diceret et aliis verbis: sicut enim pro hominibus nasci dignatus es, an ad inferni claustra descendere digneris insinua, ut qui praecursor tuae nativitatis extiti, mortis etiam praecursor fiam, et te, in inferno nuntiem venturum, quem etiam in mundum venisse nuntiavi. Unde Dominus requisitus, numeratis suae virtutis miraculis, hoc est *caeci vident*, *claudi ambulant*, mox de humilitate suae mortis respondit dicens: *et beatus est qui non*

fuerit

fuerit scandalizatus in me; his enim verbis humilitatem et abiectionem suae mortis demonstravit, quasi diceret aliis verbis: mira quidem facio, sed abiecta perpeti non dedignor; et ideo valde cavendum est hominibus ut in me mortem non despiciant, qui signa venerantur: visis enim tot signis, tantisque miraculis non debuerant homines scandalizari, sed potius admirari: sed infideles grave scandalum in illum pertulerunt, dum post miracula eum morientem viderunt. Et quod passio Crucis scandalum illis fuerit Apostolus manifestat cum ait: *Nos praedicamus Christum Crucifixum, Iudaeis quippe scandalum, gentibus autem stultitiam*. Iudaeis quippe scandalum erat, et gentibus valde stultum videbatur quomodo auctor vitae mori potuisset; inde enim homo maius scandalum adversus Dominum sumpsit unde et magis debitor fieri debuit: Dei quippe Filius tanto dignius honorandus erat ab hominibus, quanto indigna susceptit pro hominibus. Dicit Beatus Hieronymus quia discipuli Ioannis Scandalizati fuerant, quoniam

niam turbae relinquentes eum sequebantur Dominum; unde venientes ad Ioannem dixerunt: Rabbi, ecce is cui tu perhibuisti testimonium trans Iordanam baptizat, et plures ad eum veniunt; ac si dicerent: hoc malum tu fecisti, et haec causa tibi imputanda est, quoniam nisi tu ei testimonium perhibuisses, nullo modo turbae te derelinquerent, et illum sequerentur. Ad haec Ioannes respondit: *nemo potest accipere quidquam, nisi ei datum fuerit desuper*, et item: *illum oportet crescere, me autem minui*, et alibi dicit: *qui de terra est de terra loquitur, qui autem de Coelo venit super omnes est*, quasi diceret: ego quia de terra sum, ideo quasi terrenus et fragilis homo loquor; ille vero qui de coelo venit super omnes est, quia Deus est, et idcirco sicut Deus loquitur. Et quia illi invidebant Domino, timuerat Beatus Ioannes eos peste superbiae et invidentiae perire. Idcirco misit eos ad Iesum, ut dum viderent eum signa atque miracula facientem, crederent eum esse Dei filium, et eius discipulatui inhaererent. Dominus

minus ergo intelligens intentionem Beati Ioannis sicut Deus, non ad interrogationem discipulorum eius, sed ad intentionem ipsius respondit dicens: *Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis*, ac si diceret, feci quod voluit, egi quod rogavit. Signa videtis, credite si vultis. Duo enim dixit: audistis et vidistis; quorum unum refertur ad doctrinam, alterum vero ad opus. Viderunt enim signa atque miracula, audierunt doctrinam Evangelicae Gratiae. Pauperes appellat discipulos suos, quia pauperes erant spiritu, idest humiles corde, sive pauperes dicit rebus, ut per hoc demonstraret quia nulla distantia est in praedicatione Evangelii inter divites et pauperes. Cum vero Dominus dicit: *Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me*, hac sententia ipsos internuntios, idest Discipulos Ioannis percussit, quasi patenter diceret: vos scandalizati estis adversum me, sed beati esse non poteritis nisi scandalum deposueritis, et in me credideritis. Spiritualiter Ioannes vinctus significat legem vinctam, et quasi car-

carceralibus tenebris obstrusam per peccata plebis, et malam interpretationem scribarum et pharisaeorum. Per Dominum vero potest intelligi Gratia Evangelii, sicuti per Ioannem lex, quia sicut Ioannes perhibuit testimonium Domino, ita et lex perhibuit testimonium Gratiae Evangelii. Misit ergo Ioannes quosdam Discipulos suos ad Iesum, quia lex misit scribas et pharisaeos dubitantes de Adventu Domini Salvatoris, et Dominus quasi eisdem respondit dicens: Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis; ac si diceret: adest tempus ut adimpleatur illud quod longe ante praedixit Isaias Propheta: *Ecce Dominus noster veniet, et salvabit nos*. Et Paulo post: *tunc aperientur oculi coecorum, et aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, et clara erit lingua mutorum*. Sequitur: *Illis autem abeuntibus coepit Iesus dicere ad turbas de Ioanne, quid existis in desertum videre?* Haec Domini verba quibus Ioannem laudibus praetulit aperte demonstrant quia non dubitabant eum esse Dei Filium, cui prius testimonium

per-

perhibuit, sed propter supradictas causas misit Discipulos suos, et interrogavit dicens: *Tu es qui venturùs es?* Sed quaerendum est quare Dominus non in praesentia Discipulorum ipsius, sed illis abeuntibus Ioannem laudibus praetulit; Idcirco ne tamen videretur laudem humanam quaerere, idest ut vellet laudari ab Ioanne. Et quare illis abeuntibus coram turbis voluit eum dominus laudibus praeferre? Audierant enim turbae Ioannem perhibentem testimonium Domino, et dicentem. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* et viderant quia missis Discipulis suis interrogavit eum dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Poterant ergo turbae existimare Ioannem esse instabilem et similem calamo, qui omni vento circumfertur, ut nunc Domino testimonium perhiberet, nunc vero de eo dubitaret, et ne forte turbae hoc putarent, idcirco coram turbis cum multis laudibus praetulit dicens: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Quod enim Dominus dixit: quid existis in desertum

tum videre? percunctatio est; quod vero sequitur arundinem vento agitatam? interrogatio est; veteres enim hoc distare dixerunt inter percunctationem et interrogationem; dixerunt enim quod ad percunctationem multa responderi possunt, ad interrogationem vero tantum unum, idest non. Aut etiam, cum enim Dominus dicit: quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? non adfirmando, sed potius denegando hoc dicit, ac si diceret: numquid quando existis in desertum ad Ioannem, ideo existis ut videretis hominem similem arundini quae omni vento circumfertur, ut nunc de illo dubitet cui prius testimonium perhibuerat? certe non est Ioannes talis ut nunc dubitet eum esse Dei Filium, cui prius testimonium perhibuerat; non sibi sed discipulis suis interrogavit. Et sciendum quia arundo in divinis Scripturis varias et diversas habet significationes. Significat verbum ut illud: *Lingua mea calamus scribae*, Significat Sanctorum praedicatorum doctrinam, ut illud: *in cubilibus in quibus prius*

Dracones habitabant, oritur viror calami, et iunci, quia in eis quos populus antiqui hostis malitia possidebat, et doctorum scientia, et auditorum obedientia coercebatur. Orietur in ea vivor calami et iunci, idest in Sancta Ecclesia orientur scriptores, et auditores. Per iuncum vero debent auditores intelligi. Per aquae humorem iuncus et calamus nasci solent; nam ex una eademque aqua utraque prodeunt, et calamus quidem ad scribendum adsumitur, cum iunco vero scribi non potest. Quid in iunco igitur et calamo accipere debemus, nisi quia una est doctrina veritatis quae multos auditores irrigat? Sed irrigati alii ad hoc usque in verbo Dei proficiunt, ut etiam Scriptores fiant, videlicet tamquam calami. Alii vero verbum Dei audiunt, bonae spei et rectorum operum viriditatem tenent, sed tamen ad scribendum proficere nullatenus possunt. Significat etiam mentes hypocritarum ab omni fructu bonorum operum vacuas, ut illud: *Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus*. Significat praeterea ni-

rem beatitudinis electorum ut illud, *et tamquam scintillae in arundineto discurrent*. Significat tandem carnalem animum sicut in hoc loco, arundo enim vacua res est, nullam habens medullam intrinsecus, nullumque fructum extrinsecus, quae etiam secundum levitatem naturae suae non solum a flatu ventorum, sed etiam ab aliqua levi aura flectitur. Pulchre ergo per arundinem carnalis animus designatur, quia si ab ore psoximi aura favoris vel laudis flaverit, mox hilarescit et extollitur, totumque se ad gratiam inclinat; si vero contigerit ut inde aura detractionis erumpat unde prius aura favoris, manavit, ad vim furoris et iracundiae provocatur. Ioannes quidem arundo vento agitata non erat, quia nec gratia alicuius eum blandum, nec ira asperum faciebat, quoniam hunc neque prospera erigere, nec adversa noverant inclinare. Arundo vento agitata non erat, quia a status sui rectitudine nulla eum rerum varietas inflectebat. Discamus itaque et nos arundinem vento agitatam non esse, idest inter auras lin-

gua-

guarum animos nostros solidemus, et inter mundanas varietates status mentis nostrae semper sit inflexus, ut neque prospera nos elevent, nec adversa conturbent, iuxta illud Apostoli: *estote pugnantes tum in prosperis, tum in adversis*. Sequitur: *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum?* Ioannes non mollibus vestimentis, sed pilis camelorum vestitus fuisse perhibetur, id quod alibi manifestat idem Evangelista dicens: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum*. Sed quantum ad superficiem Historiae attinet in abiectione vilium vestimentorum virtus esse monstratur, et si in appetitu pretiosarum vestium peccatum non esset, nequaquam Dominus Ioannem de asperitate vestium laudasset; et si hoc culpa non esset, nequaquam Petrus Apostolus per Epistolam foeminas ab appetitu pretiosarum vestium compesceret dicens: *non in veste pretiosa*: ubi animadvertendum quanta culpa sit viros hoc appetere, a quo ipse pastor Ecclesiae foeminas procuravit prohibere. Et est sensus: *ecce qui mollibus ve-*

vestiuntur in domibus regum sunt, idest non coelesti, sed terreno regno militant qui dura et aspera pro Deo perpeti fugiunt, et qui huius seculi mollitiem, et delectationem quaerunt. Illi ergo mollibus vestiuntur, qui secundum pompas et delectationes huius seculi vivunt, et ambitiosis vestibus induuntur; hi nimirum et aulas Regum appetunt, et in eorum domibus habitare congaudent. Et sciendum quia falsa doctrina semper humanam laudem requirit, ut per eamdem terrena lucra accumulare possit, et copiis terrenarum rerum affluere. Sicut enim illi qui serico et purpura et bysso nitide compti aulas Regum appetunt, et in eorum domibus habitare congaudent, sic e contrario admonentur sancti viri ut necessariis vestimentis contenti, aulas Regum semper declinare studeant. Potest etiam iste locus altius intelligi hoc modo, quasi per molles vestes designentur carnales delectationes, et concupiscentiae. Illi ergo mollibus induuntur qui per carnales concupiscentias et delectationes suis peccatis, quasi quibusdam

dam vestimentis induuntur, unde Psalmista dicit: *Induit se maledictione sicut vestimento*. Aliter illi mollibus vestiuntur qui malis hominibus adulantur, et vitam malorum hominum quasi quibusdam blandimentis fovent, et peccata eorum diversis suasionibus cooperiunt. Ioannes enim mollibus vestitus non erat, quia vitam peccantium non blandimentis fovebat, sed rigore asperae invectionis increpabat dicens: *Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* Hinc Salomon dicit: *Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum fixi*. Et bene quidem verba sapientium stimulis et clavis assimilantur, quia culpas peccantium nesciunt palpare, sed pungere, nesciunt fovere, sed increpare. *Sed quid existis videre? Prophetam?* quod enim Dominus dicit: sed quid existis videre? non hoc negando sicut superius, sed potius adfirmando ait; unde et mox subiungit: *etiam dico vobis et plusquam prophetam*. Sed quaerendum est quare Dominus dicat Ioannem plusquam prophetam, cum ipse alibi requisitus negave-

gaverit se esse prophetam. Numquid aliud veritas clamat, et aliud praeco veritatis denuntiat? Sed non debet videri contrarium, quia unde Dominus eum dicit esse plusquam Prophetam, inde se Ioannes negavit esse prophetam. Nam prophetae officium ventura est praedicere, non etiam praesentia demonstrare. Ioannes enim Propheta fuit quousque futura praedixit; sed plusquam Propheta fuit, quia quem ceteri Prophetae futurum praedixerunt, iste digito praemonstravit dicens: *Ecce Agnus Dei*. Et quia dixerat eum Dominus non esse arundinem vento agitatam neque mollibus vestitum, et nomen prophetae huic impar esse ostendit; et ut demonstraret quis tecte dici possit, subiunxit dicens: *Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum.* Hoc testimonium de Malachia Propheta sumptum est, sed illic loquitur sub persona filii, hic vero sub persona Patris, et non debet videri contrarium, quia quorum una est natura, una potestas, una divinitas, una est et loquutio. Ecce mitto

An-

Angelum meum, idest Ioannem ante faciem tuam, hoc est ante mysterium tuae incarnationis, qui praeparabit viam tuam ante te, hoc est poenitentiam praedicando, et baptizando. Ille enim Domino viam parat qui rectam fidem et bona opera praedicat; Angelus namque nomen est officii non naturae; quod enim graece Angelus, latine nuntius dicitur; et Ioannes idcirco Angelus dictus est non naturae societate, sed officii dignitate. Recte ergo qui supernum Iudicem venerat nuntiare Angelus dictus est ut dignitatem servaret in nomine, quam explebat in operatione. Altum quippe nomen est Angeli, sed vita Ioannis non inferior fuit; recte ergo potuit dici Angelus terrenus, et homo coelestis. Et sciendum quia non solum Ioannes Angelus dictus est, sed etiam omnes qui Sacerdotii nomine censentur Angeli vocantur; unde dicit Propheta: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Et non solum Sacerdotes, sed etiam o-

mnes

mnes fideles; quicumque enim fidelis proximos suos a pravitate retrhait, et eos ad bene operandum cohortatur, et eis aeternum supplicium, et coeleste Regnum nuntiat, recte Angelus dici potest, iuxta illud quod in Apocalypsi legitur: *qui audit dicat veni*, idest qui aliquam spiritalem gratiam per occultam inspirationem accipit, et proximo suo nuntiare studeat, quatenus ipse veniat, et cum eo accipiat. Hinc est etiam quod in templo Domini non solum phialae sed etiam cyathi facti sunt. Sequitur: *Amen dico vobis non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Bagtista*. Quia dixerat Dominus superius Ioannem esse plusquam prophetam, idcirco et nunc ad adstruendam eius magnitudinem usus est sermone veritatis dicens: *Amen*, quod interpretatur vere. Si enim Ioannes de Christo dubitasset, et eum verum Dei filium ignorasset, nequaquam Dominus tot laudibus eum coram turbis praetulisset. Sed quaerendum est quare Dominus dicat: inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista; si enim inter natos non

surrexit maior illo, ergo nec ipse Christus; ille enim ex muliere natus est, testante Apostolo qui ait: *factum ex muliere, factum sub lege*; non enim debet videri contrarium quia mulier in hoc loco pro sexus corruptione ponitur. Illis ergo Dominus Ioannem praetulit qui ex mulieribus, hoc est ex corruptione maris et foeminae nati sunt, sed non illi certe qui ex Spiritu Sancto ex Virgine natus est.

HOMILIA III.

REMIGII AVTISSIODORENSIS

IN ILLUD MATTHAEI

Venit Ioannes Baptista praedicans in Deserto Iudaeae dicens: Poenitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Coelorum ec.

QUod dicit Sanctus Evangelista *in diebus illis*, si tantum superioribus verbis coniungatur, quibus dicitur: *admonitus Ioseph secessit in partes Galilaeae*, valde contrarium videtur Lucae qui dicit Puerum duodecimo anno remansisse in Templo, et Parentes eius per omnes annos adscendisse Hierosolymam in die solemni Paschae, et post hoc narrat Ioannem praedicare coepisse. Ergo si ita est, ut Matthaeus dicit, idest quod Ioannes statim praedicare coepisset, postquam Ioseph reversus est de Aegypto cum puero, et veniens habitavit Nazareth, quomodo verum est quod Lucas ait, qui narrat Puerum duodecimo anno remansisse in

se in Templo, et Parentes eius per omnes annos adscendisse Hierosolymam in die solemni Paschae, et Puerum crevisse, maxime cum Ioannes in perfecta aetate coeperit praedicare? Et ut nulla sit contrarietas, quod dicit in diebus illis, non est specialiter referendum ad illud tempus: *Postquam Ioseph reversus est de Aegypto cum Puero, et veniens habitavit Nazareth*, sed generaliter referendum est ad omne tempus infantiae et pueritiae Domini, ut sit sensus: in diebus illis, idest postquam haec vel illa gesta sunt, quae ceteri Evangelistae de Infantia et pueritia Domini usque ad trigesimum annum narrant, *tunc venit Ioannes*; et sciendum quod omnes Evangelistae faciunt mentionem huius praedicationis Ioannis. Ecce Beatus Matthaeus postquam narrat Ioseph reversum de Aegypto cum Puero venisse et habitasse Nazareth mox iungit dicens: *Venit Ioannes Baptista praedicans ec.* Marcus sequipeda illius in principio Evangelii sui fecit mentionem huius praedicationis dicens: *Initium Evangelii*, et cetera usque

que ubi ait: *Vox clamantis in deserto*, et quia nihil praemisit, idcirco non dixit in diebus illis, aut aliquod tale. Lucas vero postquam narravit Puerum duodecimo anno remansisse in Templo, et Parentes eius per omnes annos adscendisse Hierosolymam, mox subiungit dicens: *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Caesaris factum est Verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto*. Ioannes ultimus et facundior ceteris Evangelistis postquam narrat Verbum in principio fuisse apud Patrem, et Patrem omnia per ipsum condidisse, et Verbum caro factum fuisse, et habitasse in nobis, statim subiungit dicens: *Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Ioannes*. Ecce Sancti Evangelistae vario modo, et diversis in locis faciunt mentionem istius praedicationis, et quare hoc? quia illorum erat praeparare cor, Domini autem dirigere stilum et intentionem, nam sic unusquisque eorum descripsit, sicut Spiritus Sanctus dictavit. Et sciendum quod S. Matthaeus non solum tempus, locum, et personam, sed etiam offi-

cium

cium et studium Beati Ioannis demonstrat his verbis. Personam revera demonstrat cum dicit: *Venit Ioannes*, officium cum subiungit: *Baptista*, studium cum ait *Praedicans*, locum cum dicit: *in Deserto Iudaeae*, generale tempus cum ait: *in diebus illis*. Et pulchre Ioannes a poenitentia praedicare coepit, nam idcirco a poenitentia praedicare coepit, quia per poenitentiam errata corriguntur, nec solum naturalia et originalia, sed etiam amissa. Verumtamen sciendum est quia non ipse primus nec solus poenitentiam praedicavit, sed habuit testimonium a veteribus; multa namque exempla poenitentiae reperiuntur in veteri Testamento; dicit enim Dominus per Prophetam: *Nolo mortem peccatoris*, et item: *Convertimini ad me et agite poenitentiam*. Et Iob dicit: *si peccavi inscius, et celavi iniquitatem meam.* Et quia per poenitentiam proximiores Deo efficimur, et regno coelorum appropinquare possumus, ideo pulchre subiungit dicens: *appropinquavit Regnum Coelorum*. Regnum Coelorum quatuor modis dicitur. Dicitur enim Christus

ut illud: *Regnum Dei intra vos est*: dicitur Sacra Scriptura, ut illud: *auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius*: dicitur Sancta Ecclesia iuxta illud: *simile est regnum coelorum homini Regi*, et item: *simile est regnum coelorum decem virginibus*. Dicitur et supernum solium, ut illud: *multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Iacob in regno coelorum*. Et hoc totum hic intelligi potest ut sit sensus: appropinquavit regnum coelorum, idest ut Christus regnet in vobis; sive appropinquavit Regnum Coelorum, idest ut qui carnaliter scripturam intelligebatis, intelligatis spiritualiter; sive appropinquavit regnum coelorum, idest ut qui eratis Synagoga, sitis Ecclesia; sive appropinquavit regnum Coelorum, idest ut cum Christo in superno solio regnetis. *Hic est qui dictus est per Isaiam Prophetam*. Dubium est namque cuius sint haec verba, Baptistae scilicet, an Evangelistae. Videntur quidem Evangelistae esse; sed si sobrie dicta Sanctorum Evangelistarum consideremus,

non

non incongrue Baptistae esse creduntur. Matthaeus enim de se ipso dicit: *Dum praeteriret Iesus vidit hominem sedentem ad teloneum, Matthaeum nomine*, nec dixit vidit me; et Ioannes: *discipulus ille quem diligebat Iesus*, et item *hic est discipulus qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec*, nec dixit ego sum. Et in veteri Testamento legitur: *Erat Moises mitissimus, super omnes qui morabantur in terra*. Et Iob: *Vir erat in terra Hus nomine Iob*, nec dixit ego eram. Sic et haec Verba non incongrue possunt esse Ioannis Baptistae, ut ipse de se dixerit: *hic est qui dictus est per Isaiam*: Et quod mirum si ipse de se hoc dixit, eum alibi interrogatus quis esset respondit: *Ego vox clamantis in deserto*. Et quare Ioannes vox dictus est a Propheta? Quia Verbum Dei praeibat; nam ex ipsa nostra loquutione cognoscere possumus, quia Verbum audiri non potest, nisi prius praecedat vox. Sic et Ioannes praecessit Verbum illud, scilicet de quo scriptum est: *In principio erat Verbum*. Nam idcirco directus est ut per

my-

mysterium praedicationis eius Verbum Patris ab hominibus agnosceretur. Ubi autem clamaverit manifestatat cum subiungit *in deserto.* Quantum ad historiam pertinet in deserto clamabat, quia remotus erat a turbis Iudaeorum; spiritualiter vero in deserto clamasse dicitur quia derelictae, ac destitutae Iudaeae solatium suae redemptionis adnuntiabat si credere vellet. Et quod clamaverat manifestat cum subinfertur: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Ille autem venienti Domino ad corda auditorum viam parat, qui rectam fidem et bona opera praedicat, ut haec vis Gratiae penetret, et lumen veritatis illustret; et ille rectas semitas facit, qui per sermonem bonae praedicationis mundas cogitationes in animo format. Et sciendum quia non solum Isaias praevidit hunc praecursorem Domini venturum, sed etiam Psalmista cum sub persona Dei Patris dicebat: *Paravi lucernam Christo meo*, idest Ioannem Filio meo. Et bene Ioannes lucerna dicitur, quia sicut Lucifer ante solem, lucerna ante Dominum,

miles

miles ante Regem, praeco ante Iudicem; sic et Ioannes praecessit Christum; miles enim directus a Rege hoc modo viam ei praeparat: valles implet, tumentia planat, et omnia offendicula aufert, ut gressus incedentis non offendat, sic et Ioannes paravit viam Domini. Qualiter vero via Domini praeparanda sit alter Evangelista, immo et ipse Propheta manifestat cum ait: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur*. Per valles designantur humiles, per montes et colles superbi. In adventu Domini valles impletae sunt, montes et colles humiliati, quia sicut ipse dicit: *omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*. Hinc alias scriptum est: *deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*. Potest etiam hoc intelligi dictum de Iudaico et Gentili populo; Gentiles enim erant valles, idest humiles, quia Idolorum cultores erant, et diversis criminibus irretiti; Iudaei vero montes et colles, idest superbi erant propter Legis acceptionem, et Dei cognitionem. Sed in ad-

ventu Domini valles impletae sunt, et montes et colles humilitati, quia gentilis populus se humiliando per fidem donum Gratiae suscepit, quod Iudaicus populus superbiendo a se repulit. Potest et hoc intelligi de unoquoque viro humili et superbo; moraliter enim quicumque immunditia et fornicatione, et voracitate, et ebrietate detinetur, vallis est; ille vero qui in superbia, et jactantia, et vanagloria consistit, mons et collis est. Sed homines adiuti gratia Dei cum transeunt de immunditia, ad munditiam, de fornicatione ad continentiam, de voracitate ad abstinentiam, de ebrietate ad sobrietatem, valles implentur. Item si adiuti divina gratia transierint de superbia et Iactantia ad humilitatem, et de vanagloria ad despectum propriae carnis, tunc profecto montes et colles humiliantur. Hoc modo unusquisque nostrum viam Domino debet praeparare; ille enim viam Domino parat, qui de vitiis ad virtutem transit, quoniam viae Domini sunt Fides et Iustitia, semitae vero illius ceterae virtutes. Has vias sibi notas

notas fieri optabat Psalmista cum dicebat: *Vias tuas Domine notas fac mihi, et semitas tuas edoce me.* Et quae sint ipsae viae consequenter manifeste curavit indicare dicens: *Universae viae Domini misericordia & veritas sunt*; et ceterae virtutes, idest Fides, et Iustitia, et similia, semitae ipsius sunt. Et istas vias hortatur nos Hieremias Propheta inquirere cum dicit: *state super vias, & interrogate de semitis antiquis quae sit via bona, & ambulate in ea.* Sequitur: *et erunt prava in directa.* Prava sunt corda malorum hominum, per iniustitiam detorta; sed tunc prava in directa commutantur cum corda malorum hominum ad justitiae regulam diriguntur. Asperae sunt mentes hominum furore et indignatione perturbatae, quae verbum praedicantis audire contemnunt, sed tunc *aspera in vias planas* commutantur, cum eae mentes hominum ira commotae, ad gratiam mansuetudinis redeunt, quaeque prius Verbum praedicationis audire noluerunt, conversae ad beatitudinem, et ad lentiatem, delectabiliter audiunt

in

pacatae. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis Camelorum*. Hucusque videntur Verba Ioannis ab eo loco ubi ait: *Poenitentiam agite*; ab hinc vero verba sunt Sancti Evangelistae. Et quia Beatus Matthaeus superius dixerat Ioannem venisse, et poenitentiam in deserto judaeae praedicare coepisse, ut ostenderet non immerito, sed digne ad officium praedicationis accessisse, idcirco de asperitate vestium, et vilitate ciborum coepit eum laudare dicens: Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis Camelorum. Vestimentum ipsius erat Deus et Iustitia; cibus eius lex Christi, et contemplatio divina, et quia ipse mundo mortuus erat, et mundus illi crucifixus, idcirco non poterat pretiosas vestes desiderare, et lautiores cibos appetere. Sub ista tamen asperitate vestium et vilitate ciborum non condemnavit Beatus Ioannes temporalia bona, nec terrena bona docuit esse mala, quia omnia a bono Deo creata sunt, sed sub habitu vestimentorum, et vilitate ciborum ostendit se peccata totius

tius humani generis deflere. Nam multi Sanctorum Patrum in praeterito tempore peccata Mundi defleverunt. Moises enim propter grave peccatum populi nimia tristitia affligebatur, et in tantum dilexit populum ut optaret se deleri de libro vitae, si non dimitteretur peccatum populi. Iosue vero minister et successor illius a mane usque ad vesperum prostratus iacuit coram Domino propter peccatum populi. Samuel omnibus diebus vitae suae luxit saulem et populum quia recesserant a Domino. Elias vero multa jeiunii inedia affligebatur propter iniquitatem et peccata populi. Hieremias moerens et lugens non potuit quin diceret: *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut defleam peccata populi mei die ac nocte?* Et Daniel dicit: *Trium hebdomadarum spatio sedens in domo mea panem desiderabilem non comedi, et aquam desiderabilem non bibi, lugens peccata populi mei*. Sicut isti, sic et multi sanctorum defleverunt peccata generis humani. Ita et Ioannes; si enim habitum exterio-

terioris hominis consideremus, quanti meriti interior homo sit agnoscere possumus. Ille enim qui tali habitu utebatur extrinsecus, magni meriti erat intrinsecus, et in his verbis demonstratur vitam Ioannis coelestem fuisse, et gloriosam eius humilitatem, et pudicitiae honestatem. His etiam verbis Sancti Evangelistae Dominus alibi annuit cum dicit turbis de Ioanne: *Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum?* subauditur Non; quod enim Dominus Ioannem vestitum mollibus dicit non fuisse, hoc est quod Beatus Matthaeus hic cum pilis camelorum indutum esse ostendit. Per hoc vero, quod tam Dominus quam Evangelista Ioannem de asperitate vestium laudavit, ostendit quia Ioannes non fuit fautor malorum, sed increpator, et vitam peccantium non blandimentis fovebat, sed asperae invectionis verbis increpabat dicens: *Genimina viperarum quis vobis demonstravit fugere a ventura ira?* Moraliter quicumque vult vestigia Ioannis sequi, non debet peccatores blandimentis fovere,

sed aspere increpare juxta illud Salomonis: *Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi*. Pulchre verba sapientium stimulis et clavis assimilantur, quia culpas peccantium nesciunt palpare, sed pungere, nesciunt fovere, sed increpare. Per Zonam pelliceam designatur mortificatio ipsius Ioannis, per mel Silvestre, dulcis eius praedicatio; nam tantae dulcedinis ea fuit, ut ipse Christus ab hominibus putaretur. Et ipsa eius existimatio bene locustae assimilatur, locusta enim elevata a terra cito cadit, et sic illa existimatio populi, qua Ioannes Christus existimabatur, cito corruit, quia ille qui putabatur Propheta, mox agnitus est Christus, et ille qui Christus, mox agnitus est propheta. Per Ioannem qui Domini Gratita interpretatur, significatur Christus; et congrue quidem Dei Gratia dicitur qui mundo Gratiam Dei attulit. Per vestimentum illius designatur Ecclesia gentium, quae bene vestimentum Dei dicitur iuxta illud quod Dominus per Hieremiam Prophetam ait: *Vivo ego*

dicit

dicit Dominus, quia omnibus his velut vestimento vestieris. Vestimentum namque Ioannis de pilis Camelorum fuit contextum, et Sancta Ecclesia de gentilitate est congregata. Camelus enim immundum est animal, secundum legis praeceptum, et significat gentilitatem. Et bene per Camelum, quod immundum est animal, immunda gentilitas designatur, et quod ita sit manifestat Isaias dicens: *Inundatio Camelorum operiet te.* Per Zonam pelliceam mortificatio ipsius Sanctae Ecclesiae intelligitur, unde Apostolus dicit: *Mortificate membra vestra quae sunt super terram*, et item: *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis vestris*. Et Dominus in Evangelio: *sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes*. Pascha etiam celebraturi *lumbos praecinctos habere* jubentur; hac enim Zona agnitus est Helias, et hac Zona, idest hoc signo mortificationis agnoscuntur omnes fideles iuxta illud Pauli: *Qui autem Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*. Per locustas designantur hi qui de gentili populo antequam

tequam ad fidem transissent instabiles erant mente, et nec ad ista, nec ad illa se flectentes rebelles, et contradictores erant legis. Hi enim tales tam praedicatione Ioannis quam Apostolica devicti, conversi sunt in cibum Dei; unde Dominus dicit: *meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me.* Cibus ergo Domini est voluntas Patris, et redemptio, et salus generis humani. Et quod per locustas gentilitas designetur ostendit Salomon cum dicit: *Locustae enim cum non habeant regem, nec ducem, nec praeceptorem, unaquaeque graditur per turmas suas.* Sic et gentilitas cum non haberet Regem Christum, nec ducem, nec praeceptorem, idest aliquem latorem legis, aut aliquem doctorem vel prophetam, egressa est per turmas, idest de infidelitate ad Gratiam Christi sub unitate Fidei cucurrit. Per mel silvestre designantur ii qui in gentili populo antequam ad fidem venissent, dulcis conversationis, et sanctae vitae, et bonae opinionis fuerunt, de quibus unus fuit ille Cornelius Centurio, de quo legi-

tur in Actibus Apostolorum, quia *erat vir iustus et timens Deum, faciens quotidie heleemosinas plebi, et deprecans Deum die ac nocte*, unde promeruit ut Angelus mitteretur ad eum qui diceret: *Corneli, exauditae sunt orationes tuae, et Eleemosinae tuae adscenderunt in conspectum Dei*. De iis etiam fuit ille potens Eunucus Candacis Reginae qui tanti studii fuit, ut non solum per annos omnes adscendere Hierusalem, sed etiam sedens in curru legeret Isaiam Prophetam, quapropter promeruit ut dirigeretur ad eum Philippus Diaconus, quatenus baptizaret eum: et isti tales cum essent mel Silvestre in silva generis humani, conversi ad fidem facti sunt mel domesticum in sinu sanctae Ecclesiae. *Tunc exibat ad eum Hierosolyma, et omnis Iudaea.* Quod dicit *Tunc* ad superiora refertur ubi ait: venit Ioannes Baptista praedicans in deserto. Quaerendum tamen est quare Ioannes baptizabat, cum suo Baptismate peccata relaxare non poterat; in solo enim baptismo Domini peccata nobis relaxantur. Verum idcirco baptiza-

ptizabat quatenus per omnia officium suae Praecursionis impleret, ut qui factus est Praecursor Domini nascendo, et praedicando, simul etiam fieret baptizando. Sive ideo baptizabat, quia baptismum illius figuram gerebat cathecumenorum. Nam sicut modo catechizzantur pueri ut digni fiant accedere ad Sacramentum Baptismatis, ita et ille baptizabat, ut illi quos aqua intingebat, postea devotius vivendo, digni fierent ad baptismum accedere Christi. Item quaerendum est quare in Iordane baptizabat. Duabus vero de causis id fecisse putandum est; ut ibi scilicet aperiret ianuam regni coelestis, ubi datus est aditus filiis Israel intrandi in terram repromissionis, sive quia Iordanes a duobus fontibus nascitur, idest *Aior* et *Dan* qui oriuntur ad radicem montis Libani. Et ideo baptizabat in Iordane ut ostenderet quia necesse est omnibus renatis per aquam Baptismi ut studeant implere praecepta duorum Testamentorum confitentes peccata sua. Hinc descendit etiam consuetudo Ecclesiastica

ut illi qui baptizandi sunt prius abrenuntient Diabolo, et operibus eius, saeculo, et pompis ipsius. *Videns autem multos Pharisaeorum et Sadducaeorum*. Pharisaei interpretantur divisi, Sadducaei vero iusti, vel iustificati; Pharisaei enim erant praesbyteri, idest Seniores Iudaeorum, Sadducaei autem eorum haeretici; negabant enim Spiritum Sanctum et Angelos, et animam vivere post mortem et ideo nagabant esse resurrectionem, et quod isti negabant, Pharisaei confitebantur. Fortassis viderat Beatus Ioannes istos Pharisaeos et Sadducaeos non simplici intentione venire ad Baptismum suum, atque idcirco acriter eos redarguit dicens: *Progenies viperarum quis ostendit vobis fugere a ventura ira*, ac si diceret: Si ad meum vultis venire baptismum, simplici intentione venite, et si meum vultis audire consilium facite fructus dignos poenitentiae. Illi enim qui quondam ob meritum fidei filii Abrahae dicti sunt, modo propter infidelitatem filii Serpentis dicuntur, idest Diaboli: et bene diabolus serpens dicitur, quia

per

per serpentem Protoplastos decepit; et quod diabolus serpens dicatur, manifestat Scriptura dicens: *Suscitabo super eos Leviathan Serpentem tortuosum*. Et sciendum quia consuetudo est Sanctarum Scripturarum ab imitatione operum nomina imponere, ut illud: *Audite Principes Sodomorum, & auribus percipe legem Dei nostri populus Gomorrae*; et alibi: *Pater tuus Amorrhaeus, & mater tua Cethaea*. Numquid idcirco Iudaei adeo appellati sunt, quod a Sodomitis, aut ex Gomorrhaeis nati sunt? non, sed ab imitatione operum; acta enim illorum imitantur. Et bene isti Pharisaei, et Sudducaei progenies viperarum dicuntur ab imitatione eorum, fertur enim quod uterque parens viperarum in conceptu simul et in partu extinguatur. Sic et ipsi Pharisaei et Sadducaei progenies viperarum vocantur, quia maxime illorum consilio crucifigendus erat Christus pater eorum, et per malam interpretationem mater illorum Synagoga est extincta; nam mali filii malorum parentum acta imitantes, bene progenies viperarum

rum dicuntur, quia quasi de venenatis parentibus, venenati filii nascuntur. Sequitur: *Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Quis subauditur nisi Deus? si vero quis demonstravit sub futuro tempore intelligatur: quis doctor, quisve praedicator dabit vobis consilium ut possitis evadere iram aeternae ultionis? Venturam illam appellat aeternam damnationem, unde dicit Paulus Apostolus: *Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis, nunc reconciliati, salvi erimus ab ira per ipsum.* Et item: *Tu autem secundum duritiam tuam, & cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae, & revelationis iusti Iudicii Dei.* Nos vero qui peccavimus, et in usu malae consuetudinis involuti sumus quomodo ab ira extremae ultionis evadere possimus, dicat Sanctus Ioannes nobis quid facere debeamus. Ait enim: *facite dignos fructus poenitentiae.* In quibus verbis notandum quod Beatus Ioannes non tantum fructus poenitentiae, sed dignos fructus admonet esse faciendos, quia aliud

aliud est facere fructus poenitentiae, et aliud dignos poenitentiae fructus, nam non par studium debet esse illi qui multa, et illi qui pauca, et illi qui aliqua inlicita commisit. Illi qui nulla commisit, jure conceditur ut licitis utatur; illi vero qui aliquid commisit, necesse est ut tanto a se abscindat licita, quanto meminit se perpetrasse inlicita. Hac sententia uniuscuiusque nostrum conscientia constringitur; nam unusquisque nostrum tanto maiora lucra sibi debet acquirere per poenitentiam, quanto sibi maiora damna intulit per culpam. Ille enim qui post actam poenitentiam eadem vel similia committit, pro quibus poenitentiam gessit, aut dissimulat se agere poenitentiam, aut ignorat.

HOMILIA IV.

REMIGII AVTISSIODORENSIS

IN ILLUD MATTHAEI

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.

NAtivitatem Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, qua Dei filius homo fieri dignatus est, Matthaeus Evangelista brevi quidem sermone, sed plena veritate descripsit. Coepit namque ab Abraham generationem patrum describere, et perduxit eas usque ad Christum, et ut ostenderet quantum distaret nativitas Domini nostri Iesu Christi a ceterorum hominum nativitate subiunxit: *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph*. Ostendit enim illos secundum solitam copulam maris et foeminae generantes et generatos; Iustum vero nec generantem nec generatum, sed de Spiritu Sancto ex Virgine conceptum et natum. Et quia

Dei

Dei Filius nasciturus erat in carne, decebat ut non ex alia nasceretur, quam ex illa quae Virgo erat, et quia Virgo paritura erat, decebat ut non alium pareret quam qui Dei filius esset. Sed sciendum quod Beatus Matthaeus non tempus, non locum, non ordinem conceptionis narrat, quae omnia manifestissime Beatus Lucas demonstrat cum dicit: *In mense sexto missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo David, & nomen Virginis Maria.* Et quia Virgo paritura erat Dei Filium, decebat ut prius ab Angelo salutaretur, deinde divina virtute inlustraretur, ac sic demum Dei Filium in se susciperet. Quaerendum nunc est quare Dominus noster Iesus Christus non de simplici Virgine, sed ex desponsata nasci voluerit, et sciendum quod plurimae rationabiles causae a Sanctis Patribus traduntur, verumtamen praecipuae hae sunt. Prima est ut per Ioseph origo demonstraretur Beatae Mariae, cum ambo de

una eademque Tribu fuerint, secunda ne quasi adultera lapidaretur ab Iudaeis, si virum non haberet, et Filium procreasset, tertia ut fugiens in Aegyptum haberet maritale solatium, quo sustentaretur, hoc est haberet virum qui Dominum in Aegyptum ferret et referret, et necessaria foemineae fragilitati subimistraret, et fidelis custos et tutor integerrimae Virginitatis, et testis certissimus, et nutricius esset Domini fidissimus. Quarta, quam addidit Martyr Ignatius, ut partus eius celaretur Diabolo, idest ut non haberet Diabolus suspectum partum, dum videret eum ex coniuge natum. Si enim de simplici Virgine nasceretur, facile Diabolus eum Dei Filium agnosceret, et numquam crucifigeretur, unde est illud Apostoli: *Si enim agnovissent, numquam maiestatis Dominum crucifixissent.* Sequitur: *antequam convenirent.* Hoc verbum conveniendi, non ipsum concubitum, sed tempus significat nuptiarum, idest quando ea quae fuerat Sponsa, incipit esse uxor, et est sensus: antequam convenirent, idest

ante

antequam rite solemnia nuptiarum celebrarent; nam quod postea acceperit eam, Evangelista in subsequentibus manifestat cum dicit, quia monente Angelo accepit eam Ioseph, et quia non concumbebant, idcirco subiungit: *et non cognoscebat eam*. Tamen *inventa est habens in utero*, et certe a nullo alio nisi ab Ioseph, quia maritali sententia pene omnia futurae Coniugis noverat, et idcirco tumentem eius uterum curioso deprehendebat intuitu. *Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam*. Bene Iustus, quoniam Iustitiae custos erat, videbat namque Sponsam concepisse suam, quam noverat a nullo viro fuisse attactam; videbat gravidam, quam vere noverat castam, et quia legerat in Propheta *de radice Iesse exiet virga, & flos de radice eius ascendet*, et noverat Beatam Mariam originem duxisse de stirpe David, qui fuit Filius Iesse, legeratque etiam: *Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet Filium*, idcirco non discredebat, vel diffidebat hanc Prophetiam esse implendam

in

in ea, et cum esset iustus, et omnia iuste vellet agere, dignum existimavit ut haec nulli proderet, et tamen eam non acciperet uxorem, sed, mutato proposito nuptiarum, dimitteret eam, ut maneret Sponsa sicuti fuerat. Et hoc est quod dicit Evangelista, *et nollet eam traducere*, idest palam facere, sed occulte voluit dimittere, idest tempus nuptiarum mutare, quod si fecisset perpauci essent, qui non magis autumarent eam meretricem, quam Virginem, et idcirco repente consilium Ioseph divino mutatum est consilio, nam *haec eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei*. Iusto Ioseph, iuste omnia cogitanti, et disponenti bene iustus directus est nuntius, qui ad conservandam Virginis famam monuit ut eam acciperet uxorem. Hinc Beatissimus Ambrosius ait: Maluit Dominus quosdam de suo ortu, quam de matris pudore dubitare; maluit aliquos modum suae conceptionis ignorare, quam castitatem suae Genitricis infamare; hoc est magis elegit ut filius fabri diceretur, quam ut eius

mater

mater adultera vocaretur. Per hoc vero quod Angelus in somnis apparuit Ioseph, requies designatur mentis, et quia requiescebat a curis secularibus, idcirco Angelica visitatione pariter et locutione meruit perfrui. *Ioseph fili David noli timere*. Blandientis affectu Angelus alloquitur Ioseph, cum cum proprio nomine, et filium David vocet; erat enim filius David non tantum genere, sed fide et imitatione. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*. Monuit ut acciperet ad nomen coniugii, non ad operis officium; *quod enim natum est in ea de Spiritu Sancto est*; et ut dignitas partus ostendatur ait: *Pariet autem filium et vocabis nomen eius Iesum*, hoc est totius mundi Salvatorem, et universorum salutis auctorem. Salvat ipse quidem non infideles, non incredulos sed populum suum, hoc est in se credentem; salvat non tam a visibilibus hostibus, quam potius ab invisibilibus, hoc est a peccatis; salvat non armis pugnando, sed peccata relaxando. Quod autem tali nomine nuncupari debuisset, longe ante praedixe-

rat

rat per Isaiam cum ait: *Iustus et salvans Dominus non est praeter me*. Et quod tali nomine vocari debuisset, etiam antequam nasceretur ipse praedixit per prophetam: *de ventre matris meae vocavit me Dominus nomine meo*. Sequitur: *Hoc totum autem factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam*. Quaerendum est in hoc loco quare dixerit sanctus Evangelista totum factum esse, cum superius solam narraverit conceptionem. Sciendum tamen quod idcirco S. Evangelista totum factum esse dixit, ut per hoc demonstraret, quod ante in praescientia Dei totum factum fuit, quam fieret apud homines, sive quia praeteritarum rerum erat narrator, et ideo totum factum erat: mos namque fuit huius sancti Evangelistae pene omnia quae dixit exemplis veteris Testamenti confirmare, maxime propter illos Iudaeos qui ita crediderunt in Dominum Iesum Christum, ut timerent recedere a carnali observatione legis, ut tanto facilius retraheret eos ab ipso timore, quanto jam viderent et agnosce-

scerent ea esse completa in gratiam Evangelii, quae praedicta vel gesta fuerant in veteri Testamento: *Ecce Virgo in utero habebit*. Quod Virgo esset conceptura, et Dei Filium paritura multis demonstratur exemplis; Salomon enim dicit: *Sapientia aedificavit sibi Domum, excidit columnas septem*. Sapientia Christus est, de quo Apostolus dicit: *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam*. Haec sapientia itaque aedificavit sibi domum, vel matrem de qua sumpsit carnem, vel corpus in Virgine, in quo apparuit visibiliter inter homines. Et Psalmista dicit: *Mater Sion dicet homo etc.* Mater Sion ipsa est Beata Virgo Maria, et Christus *homo factus est in ea*, quia filius Dei carnem sumpsit ex ea; *et ipse fundavit eam Altissimus*, quia ipse Altissimus qui homo factus est, fecit sibi matrem, de qua nasceretur secundum humanitatem. Hinc et Isaias: *De radice*, inquit, *Iesse exiet Virga, et flos de radice eius adscendet*. De radice Iesse exivit Virga, quia de stirpe David qui filius Iesse fuit, ut diximus, originem duxit

Beata

Beata Maria, quae florem munditiae, idest Dominum Iesum Christum absque macula peccati concepit et genuit. Haec est Virga illa Aaron quae fronduit, et frondes in amigdalum produxit; nam sicut illa absque humore ullo terrae flores et frondes in amigdalum produxit, ita et Beata Virgo Maria absque ullo humano semine concepit, et peperit Christum. Et bene Dominus noster Iesus Christus similatur amigdalo, nam sicut amigdalum constat ex osse, cortice, et medulla, ita Dominus noster Iesus Christus constat ex Divinitate et humanitate, carne scilicet et anima, et qui absque humano semine natus est de Virgine, ideo per Prophetam loquitur dicens: *Ego autem sum vermis et non homo*. Nam sicut vermis ex ligno absque ullo semimine nascitur, ita et Christus de Virgine. Inde est etiam quod secundum septuaginta interpretes scarabeus de ligno clamat. Quarendum est etiam quare dicat sanctus Evangelista *habebit* cum Propheta dicat *concipiet*; et sciendum quod quia Propheta futura praedica-

dicabat, idcirco posuit concipiet, nam illud concipitur quod non habetur. Evangelista vero quia de praeterito narrabat Historiam, ideo mutavit concipiet, et posuit habebit; quoniam illud quod habetur jam non concipitur, sed tenetur. Quod autem dicit: *Vocabitur nomen eius Emmanhuel*, putandum est hoc nomen sic interpretatum fuisse ab aliquo translatore, non a Propheta vel Evangelista, ne hoc haberetur obscurum vel confusum apud Latinos. Hoc namque nomine duae substantiae Domini nostri Iesu Christi, divinitatis scilicet et humanitatis in una persona designantur, quia qui ante omnia secula ineffabiliter genitus est a Deo Patre, idem ipse infine temporum factus est Emmanhuel, idest *Nobiscum Deus* ex Virgine matre. Quod autem dicitur Nobiscum Deus, potest intelligi hoc modo: Nobiscum factus est, hoc est passibilis, mortalis, esuriens, sitiens, lassescens, et per omnia nostri similis absque peccati affectione: sive Emmanhuel hoc est Nobiscum Deus factus est, quia substantiam nostrae fragi-

litatis quam assumpsit, substantiae suae divinitatis in unitate personae univit et coniunxit, quando *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*; ut mirum in modum inciperet esse quod nos sumus, nec tamen desineret esse quod erat. *Exurgens autem a somno Ioseph fecit quod praecepit ei Angelus Domini.* Eo ipso aditu redit vita, quo ingressa est mors, idest per Virginem foeminam, et per obedientem virum. De Virgine Terra creatus est Adam, de Virgine foemina natus est Christus. Per inobedientiam Adae omnes perditi sumus, per bonum obedientiae Ioseph omnes ad pristinum statum revocamur; nam his verbis magna nobis virtus obedientiae commendatur, quibus dicitur: fecit sicut praecepit ei Angelus Domini; accepit videlicet Mariam celebratis nuptiis, atque accepit, ut ea coniux vocaretur, non ut tamen concumberent, quia sequitur: *et non cognoscebat eam*. Fuerunt quoque nonnulli qui dixerant quod Ioseph non celebratis nuptiis Beatam Mariam accepit, sed bene ait Beda: = Ille qui hoc di-

dicit ostendat ubi licitum fuit umquam apud Iudaeos quod Sponsi et Sponsae simul convenirent absque celebratione nuptiarum, et si ostenderit, nos sano eius sensui cedimus; tantum videat ne aliquod tale proferat, quod Matrem Domini infamet; et cum hoc ostendere non potuerit, nostrae credat assertioni =. Et *non cognoscebat eam.* Hoc verbum cognosco aliquando in Sacris Scripturis pro cognitione ponitur, ut illud: *Cognovit Ioseph fratres suos, ipse tamen non est agnitus ab eis*: et item: *Remansit puer Iesus in Hierusalem, et non cognoverunt parentes eius*. Pro concubitu etiam ponitur ut illud: *Cognovit Adam adhuc etiam uxorem suam, et genuit ex ea filios et filias*. Sic et in hoc loco pro concubitu ponitur et non cognoscebat eam, idest non concumbebat cum ea *donec peperit Filium suum Primogenitum*. Fuerunt praeterea nonnulli Haeretici qui dixerunt quod Ioseph et Beata Maria post natum Dominum simul convenissent, et filios eos procreassent, quos Sancti Evangelistae Fratres Domini appellant, et ad suum errorem con-

confirmandum sumpserunt hoc testimonium dicentes, quod nequaquam S. Evangelista dixisset *donec*, nisi post Dominum natum simul convenissent. Sed procul repellat Deus hunc errorem a cordibus fidelium; sciendum namque est quod S. Evangelista illo tempore, scilicet ante partum, negare studuit quod Ioseph non cognovit eam, ne aliqua suscipio posset oriri; post partum vero nullum dubium esse credidit, quod non convenerint, ideoque negare non curaverit. Si enim illa legalis Maria, postquam divino meruit perfrui eloquio, carnali non legitur copulae permixta; Noe etiam et Moises postquam divinis perfrui eloquiis meruerunt non concubuisse leguntur, quis sanae fidei audeat dicere hanc Evangelicam Mariam, et hunc Evangelicum virum Ioseph scilicet post natum Dominum convenisse, praesertim cum illis in castitate permanentibus singulari gratia natus est Dei Filius? Verumtamen sciendum quia solet *donec* pro infinito accipi, ut est illud: *donec senescaris ego sum*. Numquid postquam

quam ille senuerit, desiit esse Deus? Non; sed sic est intelligendum: Ego semper ero etiam postquam vos senueritis. Et item: *Vivo ego dicit Dominus; non delebitur hoc peccatum vestrum donec moriamini*. Numquid postquam mortui erunt, deletum est peccatum eorum? Non, si enim ante non est deletum, post mortem minime. Et Psalmista inquit: *Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Numquid postquam facti sunt inimici illius scabellum pedum eius, desiit Filius sedere a dextris Patris? Non, sed talis est sensus: Inimici quidem tui pedibus tuis subiicientur, et tu a dextris meis semper sedebis. Et in Evangelio legitur: *Amen dico tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*. Et est sensus: quia nunquam reddes, numquam exies. Sic et in hoc loco pro infinito accipitur: et non cognoscebat eam donec peperit filium suum, idest nunquam cognoscebat. Sciendum est praeterea quia fuerunt nonnulli haeretici qui dixerunt

Dei

Dei filium non veram carnem ex Virgine sumpsisse, sed imaginarium corpus habuisse, ideoque addidit *suum*, hoc est proprium, non adoptivum, non aliunde, neque ex nihilo, sed ex sua substantia, et Sancto Spiritu conceptum et natum. Sequitur *Primogenitum*. Non etiam defuere Haeretici qui ad confirmandam sententiam sui erroris hoc verbum adsumpserunt dicentes, quod nequaquam S. Evangelista dixisset Primogenitum, nisi is habuisset fratres; falso tamen, nam Primogenitus dicitur non ille solummodo quem Fratres sequuntur, sed qui primus nascitur, sive sequantur eum fratres, sive non. Legis namque praeceptum fuit ut omne masculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocaretur, et omnia primogenita Deo in templo obferentur, et septem diebus essent sub uberibus matrum, octava die vero obferrentur Domino. Et numquid illa solummodo primogenita obferebantur, quae fratres sequebantur? Non, sed omnia quae primo nascebantur. Et item legitur quia *percussit Deus primogenitum*

tum in terra Aegypti: et numquid illa solummodo primogenita percussit, quae fratres fuerant sequuti? Non, sed omnia quae primo nata sunt tam de hominibus quam de animalibus. Ergo omnis unigenitus recte potest dici primogenitus; veruntamen non omnis primogenitus dicitur unigenitus. Dominus igitur Iesus Christus cum sit unigenitus bene dicitur primogenitus, quia primus de Virgine est natus, et natus quidem non devirginavit matrem, quae Virgo semper permansit; de ea namque scriptum est: Porta haec clausa erit, et vir non transibit per eam: solus Dominus egredietur per eam, et erit semper clausa. Et quid mirum si unigenitus Dei Filius primogenitus dicitur eo quod primus natus sit de Virgine? cum etiam primogenitus mortuorum dicatur, unde est illud: *Ipse est testis fidelis primogenitus mortuorum, et princeps Regum terrae.* Bene quidem primogenitus mortuorum dicitur, quia ipse primus a mortuis resurrexit, et nobis aditum resurgendi de morte ad vitam dedit. Dicitur etiam *primogenitus*

in multis Fratribus, ut illud Apostoli: *Quos autem praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. In quibus multis? In illis videlicet de quibus Ioannes Apostolus ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Et sciendum quia non solum dicitur Primogenitus in illis qui post eum fuerunt, sed etiam in illis qui ante eius nativitatem extiterunt, qui bene utique possent dicere cum Ioanne: *Post nos venit vir qui ante nos factus est*, atque etsi post nos natus est, tamen potentia suae divinitatis nos praecessit. Primogenitus etiam dici potest secundum ipsam naturam divinitatis, ut illud: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem Creaturam*. Sapientia loquitur, et sapientia Chritus est, de quo Apostolus: Christum Dei Virtutem et Dei, sapientiam. Hunc Christum Dei virtutem et Dei sapientiam Virgo Mater in fine temporum concepit et peperit, quam Deus Pater ante omnia secula ineffabiliter genuit. Praeterea dicitur

Pri-

Primogenitus eo quod ipse primus aperuit vulvam Sanctae Matris Ecclesiae ad procreandos Deo filios per aquam Baptismatis. *Et vocavit nomen eius Iesum*. Liquet hoc nomen fuisse notissimum sanctis Patribus et Dei Prophetis, et maxime illi qui dicebat: *Defecit in salutare tuum anima mea*; idest in considerando salutare tuum anima mea defecit; et item: *exultavit cor meum in salutari tuo*; nec non illi qui dicebat: *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo*. Et permaximum est illud: *Deus in nomine tuo Salvum me fac*, idest gloriam tui nominis quo Salvator diceris in me salvando glorifica, ut tuum nomen sit super me.

HOMILIA V.

REMIGII AVTISSIODORENSIS

IN ILLUD MATTHAEI

Dicebat Iesus turbis Iudaeorum : ecce mitto ad vos Prophetas , et sapientes , et scribas etc.

QUod autem superius dicit: *Implete mensuram patrum vestrorum*, ad personam Christi pertinere videtur, quoniam ipse ab illis occidendus erat, sive potest referri ad Apostolos, de quibus nunc dicit: *Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, sapientes et scribas*, ut scilicet impleatis mensuram Patrum vestrorum, et illos occidendo ostendamini vos esse filios homicidarum, et convincamini falso ornare sepulcra prophetarum. Prophetae enim non solum illi dicti sunt qui incarnationem Domini venturam praedixerunt, sed etiam illi qui coelestis Regni gaudia annuntiant, et scripturas interpretantur; de quibus dicit Apostolus: *Prophetae*

duo

duo aut tres dicant, ceteri autem diiudicent. Quidam enim Prophetas veteris Testamenti autumant esse praeferendos Apostolis in ordine catalogi; sed sciendum est quia prophetas, sapientes et scribas Dominus Apostolos suos appellavit; prophetae enim dicti sunt quia prophetico spiritu erant repleti; sapientes erant quia eruditi fuerant coelesti doctrina, idest Evangelii gratia, unde et prophetas ait, ut eruditos corde in sapientia; scribae vero erant quia de thesauris suis nova et vetera proferebant. *Et ex illis occidetis*, sicut Paulum et Iacobum, *et Crucifigetis*, quemadmodum Petrum et Andream, *et flagellabitis in Synagogis vestris*, quemadmodum omnes Apostoli leguntur flagellati, de quibus in actibus Apostolorum dicitur: quoniam gaudentes ibant flagellati a conspectu concilii. *Et persequemini de civitate in civitatem*; et est sensus: Persequemini, inquam, et expulsi eritis a finibus Iudaeae ut congruo tempore digna fiat transmigratio ad gentes ad seminandum Evangelium Christi. *Ut veniat super vos omnis*

nis sanguis iustus qui effusus est super terram; a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae. Quis autem fuerit iste Abel non solum hac Domini sententia, sed etiam testimonio Libri Genesis comprobatur, ubi eius munera Deo accepta fuisse narrantur. Sic enim scriptum est: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera ipsius*; prius enim dicitur Deum respexisse ad Abel, deinde ad munera eius, ideoque iustus deprehenditur. Sed solerter investigandum est quis fuerit iste Zacharias, nam multos legimus Zacharias. Appellatus namque est Zacharias ille penultimus duodecim prophetarum. Zacharias etiam dictus est Pater Ioannis, et similiter Zacharias vocatus est ille Ioiadae Sacerdotis; sed ille penultimus duodecim prophetarum nusquam legitur occisus, atque etsi nonnulli dicant quod Zacharias Pater Ioannis occisus sit inter templum et altare, eoquod Christi adventum futurum praedixit, hoc tamen in Divinis litteris non invenitur, et ne libera facultas errandi daretur per diversos, ideo signan-

gnanter addidit Dominus: *quem occidistis inter Templum et Altare*. Congruentius ergo Zacharias intelligi potest ille filius Ioiadae sacerdotis, quem Ioas rex Iudae interfecit inter Templum et Altare. Sed quaerendum est quomodo Dominus hic eum filium Barachiae nominet, cum, sicut in libro Regum legitur, filius fuerit Ioiadae Sacerdotis: sic enim legitur: *Non est recordatus Ioas Ioiadae patris eius quae sibi fecisset bona*. Solvitur haec quaestio ita: aut is certe duo nomina secundum consuetudinem suae gentis habuit, aut solvitur interpretatione nominum. Barachias enim interpretatur Benedictus Domini, Ioiadas vero Dei iustitia; nihil ergo interest sive dicatur filius fuisse Barachiae, idest Benedicti Domini, sive Ioiadae, idest Iusti Domini, quoniam unum est. Dominus ergo ob magnitudinem eius, et ad laudem ipsius vocavit illum filium Barachiae, idest Benedicti Domini. Rursus quaerendum est quomodo dicat Dominus omnem Sanguinem Iustorum quaerendum esse ab Abel iusto usque ad sanguiuem Zacha-

chariae filium Barachiae super generationem Iudaeorum, cum ipsi neutrum eorum occiderint, scilicet nec Abel, nec Zachariam. Numquid merita omnium generationum ac subsequentium una generatio persolvet? non enim aequum est ut alter pro alterius peccatis puniatur. Sciendum est ergo quia moris est Sacrarum Scripturarum duas generationes narrare, unam bonam et alteram malam, unam Iustorum, et alteram impiorum; Christus enim est caput omnium electorum, et omnes electi membra sunt illius, ac per hoc omnium electorum ab Abel, usque ad finem seculi, quasi una erit generatio. Diabolus vero caput est omnium iniquorum, et omnes iniqui membra sunt ipsius; omnium ergo impiorum a Cain usque ad finem seculi una erit generatio; de bona namque generatione scriptum est: *Generatio rectorum benedicetur*, et iterum: *haec est generatio quaerentium Dominum:* De mala autem dicit: *Generatio mala et perversa haec Domino retribuisti*, et item: *Generatio cuius oculi sublimes, et cuius pal-*

palpebrae in altum erectae. Hae enim sunt illae duae civitates una Christi, altera Diaboli, idest una Hierusalem visio pacis, et Babylon civitas confusionis. Pulchre ergo omnis sanguis iustorum qui effusus est ab Abel iusto, usque ad sanguinem Zachariae requireretur super generationem iniquorum. Iterum quaerendum est quomodo dicat omnem sanguinem Iustorum requirendum esse ab Abel tantum, usque ad Zachariam filium Barachiae. Cur autem ab Abel, non est mirum, sed valde mirum est quomodo usque ad sanguinem Zachariae, cum plurimorum sanctorum sanguis postea effusus sit innocentium, et ipsius Christi, et Apostolorum, nec non et innumerabilium martyrum, et effundetur usque ad finem seculi. Solvitnr autem sic. Abel pastor ovium fuit, et in campo occisus, Zacharias fuit Sacerdos, et in atrio templi Domini interfectus. Ideo ergo Dominus hos duos memoravit, quoniam omnes Sancti Martyres per istos designantur laicalis et Sacerdotalis ordinis. Zacharias autem

in-

interpretatur memoria Domini, unde et pulchre per ipsum omnes electi designantur, etiam et ille qui in fine mundi nasciturus est, quique memor Domini erit. Sequitur: *Amen dico vobis venient haec super generationem istam*, idest ultio et vindicta iustorum, quorum Sanguis effusus est super terram, et requiretur non solum super Iudaeos, sed etiam super omnes iniquos, ut aequales sint ad perferenda iusti iudicii supplicia, qui pares fuerunt impietatis culpa. *Hierusalem, Hierusalem quae occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt*. Hierusalem quoque Dominus non saxa, non aedificia, sed habitatores civitatis illius appellat; plangit quippe super eam patris affectu, unde sicut alter Evangelista refert Iesus *videns civitatem flevit super illam dicens; quia si cognovisses et tu*; praevidens namque Dominus plagam et ruinam illi perfidae civitati futuram, nec temporalem solum, quae a Romanis ventura erat, sed etiam illam quam in aeterna damnatione erat habitura, ideo patrio affe-

affectu deplorans condolendo alloquitur et dicit: *Hierusalem quae occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt*, ac subiungit: *quotiens volui congregare filios tuos*; in quo ostendit omnes retro Prophetas a se directos fuisse, et destruuntur idcirco haeretici qui dixerunt Dominum sumpsisse initium sui ex Virgine, et alium fuisse Deum veteris, alium novi Testamenti, quoniam ille idem erat qui Prophetas ante Virginem direxit. Addit: *Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas* et bene hanc similitudinem assumit, hoc enim animal magnum affectum habet circa filios; ceterae enim aves etsi filios habeant, non facile possunt agnosci esse matres, nisi forte in nidis residere videantur. Gallinam vero etsi pulli non sequantur, et filios non videas, facile potes agnoscere matrem; ita enim fit alis demissis, plumis hispida, voce rauca, omnibusque membris dissoluta et abiecta; ut infirmitate filiorum cum sit affecta, et ipsa infirmetur; alis etiam praeterea filios protegit, et pugnam init adversus milvum. Sapientia ergo Dei

Patris quae est mater omnium nostrum, Dominus scilicet Iesus Christus propter infirmitatem assumptae carnis gallinae se assimilavit, unde Apostolus dicit: *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*; infirmari quippe voluit ut nos sua virtute protegeret, nec diabolus raperet quos ipse defendit; nam quod gallina naturae affectu pugnam init adversus milvum, hoc Dominus propria sua potestate agit adversus diabolum. Et ut ostenderet Dominus quem affectum haberet erga salutem humani generis, et specialiter illius Iudaici populi, ad quem loquebatur, gallinae se assimilavit. Sed quaerendum est quid sit quod Dominus dicit: *quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina, et noluisti*; sic enim videntur verba sonare, ac si voluntas Dei superata sit a voluntate iniquorum hominum, et infirmissimis nolendo impedientibus, Omnipotentissimus non potuerit facere quod voluerit. Ubi est ergo illa omnipotentia de qua Scriptum est: *Omnia quaecumque voluit fecit*? Non enim ait quaedam fecit quae voluit, sed omnia.

In-

Intelligendum est enim quia quotiens volui congregare filios tuos et noluisti, ego quos volui te nolente de filiis congregavi. Sequitur: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*; et notandum quia non ait mea, sed vestra, et ideo deserta, ac si diceret: non estis digni mea protectione, hinc est quod voces Angelorum insonuerunt dicentes: transeamus ab his sedibus. Hoc etiam antea longe praedictum fuerat ab Hieremia Propheta dicente: *Reliqui domum meam, dimisi haereditatem meam*. Hierusalem quoque dominus, quam secundum alterum Evangelium nidum appellat, hic domum nominat, quae suo merito, divino auxilio denudata, suae ditioni est derelicta, quia non solum protegi despexit alis illius potentissimae avis, quam gallinam nominat; sed etiam ipsa avis idest Christus a duabus vulpibus est tradita, hoc est Herode, et Pilato, et ideo Romani quasi vacuam domum, et nidum invidentes omnia diripuerunt, idest et locum, et gentem, et Regnum. *Dico enim vobis non me videbitis amodo.* Ad Hierusalem quoque, et ad populum

Iu-

Iudaicum loqui pergebat Dominus, ac si diceret: nisi poenitentiam egeritis, et me confessi fueritis illum esse de quo Prophetae cecinerunt Omnipotentis Dei Filium, non me videbitis, idest cognitionem meam non habebitis; id quod nonnulli intelligunt de secundo Domini adventu, quando venturus est in claritate, ut sit sensus: non me videbitis amodo, scilicet non me videbitis venturum in claritate, sed terribilem, habent enim etiam nunc Iudaei tempus poenitentiae concessum. Confiteantur ergo Christum esse Dei Filium, et dicant: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, et faciem ipsius videbunt, idest cognitionem eius habere poterunt, qui vivit et regnat ec.

HOMILIA VI.

REMIGII AVTISSIODORENSIS

IN ILLUD MATTHAEI

Defuncto autem Herode ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto dicens: surge et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel.

PRrimo omnium quaerendum est quare dicat Matthaeus Herodem defunctum, cum Lucas dicat Ioannem sub Herode coepisse praedicare. Solvitur haec quaestio tamen in duobus hominibus unum nomen habentibus; duo enim fuerunt Herodes idest Pater et filius; nam quando Ioseph in Aegypto fuit, Herodes pater regnabat; quando vero reversus est, Archelaus filius eius potiebatur regno, et quando Ioannes coepit praedicare, Herodes filius praeerat Galilaeae, unde Matthaeus istum regem nominat, Lucas illum Tetrarcham. Item quaerendum est quare dicat Matthaeus Ioseph timore Archelai secessisse in Galilae-

lilaeam, cum Lucas dicat Herodem praeesse Galilaeae, et quare magis debuit timere Archelaum quam Herodem cum fratres essent, et unius patris filii. Solvitur haec quaestio in mutatione temporum; nam alio tempore regnavit Archelaus in Iudaea. et alio tempore praefuit Herodes Galilaeae. Nam quando Herodes de Aegypto reversus est, Archelaus regnabat super Iudaeam, et Herodes nondum praeerat Galilaeae, et idcirco Parentes Domini secure potuerunt habitare in Galilaea. Item quaeri potest quare dicat Matthaeus Ioseph timore Archelai secessisse in Galilaeam, et habitasse in Nazareth, cum Lucas videatur dicere quod gratia propriae civitatis descendisset in Galilaeam, et habitasset Nazareth, sed solvitur sic; quando Ioseph admonitus est in Aegypto ab Angelo ut reverteretur in terram Israel, intellexit ille terram Israel dici terram Iudaeam, sed postquam reversus est audivit quod Archelaus regnaret ibi, et tunc intellexit terram Israel non solum Iudaeam, sed etiam

et Ga-

et Galilaeam, quia Israelitae eam incolebant. Numquid errore Angeli hoc factum est? Non, sed Ioseph, quia quando Angelus admonuit eum ut reverteretur in terram Israel, non dixit proprie ad quem locum declinare debuisset, sive quia credidit Ioseph quod puer tantae auctoritatis non debuisset alicubi nutriri nisi in egregia urbe in qua Rex, Principes Sacerdotum, et legis doctores erant, et idcirco Hierusalem adscendere voluit; sed postquam audivit quod Archelaus regnaret ibi, coepit angustiari, et ideo secundo admonuit Angelus eum ut reverteretur in Galilaeam. Item quaerendum est quare dicat Lucas Parentes Domini per omnes annos adscendisse Hierosolymam, cum Matthaeus dicat Ioseph timore Archelai secessisse in Galilaeam. Quomodo ergo per omnes annos adscenderunt, si timore Archelai non ausi sunt ibi habitare? Solvitur tamen sic quod fortassis scilicet Archelaus parvo tempore regnavit, et ideo Parentes Domini per omnes annos secure potuerunt

adscen

adscendere Hierusalem; nam sicut narrat Iosephus historiographus vix decem annis potitus regno accusatus est ab Iudaeis apud Caesarem propter nimiam insolentiam et ferocitatem animi, et relegatus est exilio apud Viennam civitatem. Sed forte dicet aliquis quod Archelaus multo tempore regnavit. Ad haec respondendum est ita: solent homines visitare loca ad tempus, in quibus non audent semper habitare. Parentes enim nostri Salvatoris sic timebant Archelaum ut non essent contemptores legis et ideo per omnes annos Hierusalem adscendere potuerunt, ubi non semper ausi erant habitare, sive inter plurimam turbam populorum adscendere potuerunt, ut non agnoscerentur. Item quaeri potest quare dicat Lucas Evangelista Dominum quadragesimo die in Templo praesentatum, et munera pro eo oblata, et Matthaeus dicat Herodem turbatum venientibus Magis, et nuntiantibus Regem Iudaeorum esse natum. Si Herodes propter relatum Magorum turbatus est, quomodo parentes Iesu ausi sunt adscendere

ad templum? Si quis aliquantulam experientiam humanarum rerum habet, non ignorat quod corda regum diversis curis et sollicitudinibus praeoccupata sunt, maxime illorum qui sunt constituti sub imperio alterius. Quis enim scire potest quanta iste audierit aut ex parte Caesaris, aut ex parte hostium, aut aliqua maiore causa praeoccupatus, et ideo Magos oblivioni tradidit ad tempus, et ideo parentes Domini securi adscendere potuerunt ad templum; sive credidit Herodes quod Magi non invenissent puerum, et ideo verecumdati fuissent reverti ad se, et idcirco non curavit quaerere puerum. Sed postquam pervenit fama ad aures illius quia puer delatus fuisset ad Templum, et munera pro eo oblata, et Simeon et Anna multa de eo prophetassent, tunc cognovit se delusum a Magis, et iratus est valde. In eo quod Dominus fugit, nobis exemplum reliquit fugiendi, reprehensibile enim videretur apud sanctos suos, si ipsi fugerent, et ille prius non fugisset; nam quod prius exemplo ostendit, postea

verbis docuit cum ait: *Si vos persequuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Per hoc quod parvuli occisi sunt, et puer Iesus qui quaerebatur vivus evasit, significabatur quia corpora sanctorum Martyrum poterunt occidi, sed fides quae in illis erat nullo modo posset extingui, qui veraciter poterant dicere cum Paulo: *Sive vivimus Domino vivimus, sive morimur Domino morimur, sive enim vivimus, sive morimur Domini sumus*. Per hoc quod Ioseph propter persequutionem Herodis fugit in Aegyptum, et extincto illo reversus est in terram Israel significabatur quod multi sanctorum expellendi erant ex suis sedibus, et nonnulli etiam exilio relegandi, et extinctis persequutoribus, et denuo reddita pace Ecclesiae reversuri erant ad proprias sedes. Nam quod puer Iesus quaerendus esset ab Herode, et non inveniendus antea jam praedictum fuit; praedixit enim hoc Salomon in persona Ecclesiae cum ait: *Quis dabit Tibi fratuelem meum sugentem ubera matris suae?* Quibus verbis ostendit impossibilitatem inve-

inveniendi Christum; et Psalmista ait: *Ex utero, de ventre matris meae tu es meus protector*; et Dominus per Salomonem: *Quaerent me et non invenient*; et subauditur mali; et Moises hoc ipsum mysticis verbis praedixit cum ait: *non coques hoedum in lacte matris suae*, quibus verbis ostendit Christum non in infantia, neque in pueritia, sed in perfecta aetate crucifigendum. Per hoedum peccatores intelliguntur, et ideo Dominus hoedus dicitur, quia similitudinem carnis peccati sumpsit, sive quia obtulit se hostiam Deo in ara crucis pro nobis. *Defuncti sunt qui quaerebant animam Pueri*. Quaerendum est quare dicat pluraliter defuncti sunt, cum superius solum Herodem narraverit quaesisse animam pueri. Solvitur haec quaestio tamen duobus modis: aut certe loquutus fuit S. Evangelista per speciem tropi, quando multi ponuntur pro uno, aut certe datur intelligi quia non solum Herodes, sed multi Iudaeorum consentientes fuerunt in nece Salvatoris. Sed cum multi fuerunt, quaerendum est quomodo in tam brevi spatio

tio extincti sunt. Quomodo vero extincti sint narrat historia Ecclesiastica; dicit enim quia Herodes propter necem parvulorum diversis cruciatibus vexabatur; assidue enim cruciabatur febre, et creberrimo dolore coli, tumore pedum, et inter cetera, verenda illius vermibus scatere coeperant; et cum adhuc haberet spem vivendi, deportatus est ni Ierichum: accepto vero consilio medicorum utebatur aquis calidis, et introivit in oleum calidum; unde adeo sunt resoluta omnia membra illius, ut etiam ipsi oculi a propriis sedibus expelli viderentur, et tanta aviditas manducandi in illo fuit, ut omnes poene coqui eius vix possent tanta praeparare, quanta ipse manducare, et cum jam desperatus esset de salute corporis sui, iussit colligi ad se omnes nobiliores et primarios de vicis, castellis et civitatibus totius Iudaeae, et iussit eos recludi in loco qui dicitur Ippodromus; et cum videret sibi imminere diem mortis suae, vocavit sororem suam Salome, et virum eius Alexandrum, et dixit illis: scio quidem Iudaeos gavisu-

visuros de morte mea, sed potero habere multos lugentes, et nobiles exequias funeris, si meis volueritis praeceptis obedire, cumque me audieritis mortuum, praeparatis militibus interficite omnes, quos ego habeo reclusos in custodia, ut omnis domus, et omnis Iudaea etiam invita defleat obitum meum. Habebat is praeterea consuetudinem ut post omnem cibum purgaret ipse malum et comederet; quod cum fecisset quadam die aspexit huc et illuc ut videret si esset aliquis qui eum prohiberet; cumque neminem vidisset, vibrato cultello percussit pectus suum et cecidit mortuus. Hoc facto occisi sunt omnes qui tenebantur in custodia, et sic factum est ut subito extinguerentur omnes qui quaesierunt animam Pueri. In eo quod dicit S. Evangelista animam pueri, destruuntur haeretici qui dixerunt Christum non sumpsisse animam, sed loco animae habuisse Divinitatem. Sed quia totus homo perierat, idcirco Dei filius totum suscepit ut utrumque redimeret, idest animam et carnem. Et

quod

quod ille veram animam habuerit, ipse manifestat cum ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Et item: *nemo tollet animam meam a me.* et iterum: *tristis est anima mea usque ad mortem.* Et Evangelista: *Inclinato capite Iesus tradidit Spiritum.* Sequitur; *Qui consurgens accepit puerum.* Per hoc quod Ioseph extincto Herode reversus est in terram Israel significabatur quia postquam extincta fuerit invidia in cordibus Iudaeorum circa finem seculi, praedicantibus Helia et Henoc, Dominus visitabit Iudaeam in suis praedicatoribus. Sequitur: *audiens autem quod Arcehelaus regnaret in Iudaea.* Archelaus interpretatur agnoscens Leo; et significat illum Leonem de quo Petrus ait: *Soliciti estote et vigilate quia adversarius vester tamquam leo rugiens circuit.* Per illam partem populi in qua non ausus fuerit habitare Ioseph, designantur illi qui circa finem seculi suscipient Antichristum, in quibus habitabit Archelaus, idest diabolus; per illam vero partem in qua secure habi-

bitabat Ioseph, designantur qui circa finem seculi, praedicantibus Helia et Henoc, suscipient Christum, in quibus secure habitabit Ioseph, ordo scilicet praedicatorum; unde bene Galilaea transmigratio, sive revelatio facta interpretatur. Nazareth dicitur flos, sive mundus, nam Sancta Ecclesia quanto magis de visibilibus ad invisibilia, de terrenis ad coelestia transit, tanto magis abundat floribus virtutum. Sequitur: *ut adimpleretur quod dictum est per prophetas*. Dicit Beatus Hieronymus quia si fixum testimonium posuisset Evangelista de scripturis, non diceretur hic pluraliter per Prophetas, sed per Prophetam, et quia fixum testimonium non repperit, ideo dixit per Prophetas; omnes enim prophetae Christum Nazarenum, hoc est Sanctum, iustum, et mundum praedixerunt venturum. Nam invenitur aliquid simile huic in verbis Isaiae Prophetae in Hebraica veritate. Ait enim: *Exiet virga de radice Iesse, et Nazaraeus de radice eius adscendet*. Dictus est Iesus Nazarenus a loco, idest a parva civitate in qua con-

conceptus est et nutritus. Dicitur etiam Nazaraeus ab officio; omnes enim illi Nazareni dicebantur qui vota Domino vovebant, et se ipsos castos se custodiebant, et super quorum capita novacula non ascendebat usque ad tempus constitutum. Et iste pulchre Nazaraeus dictus est, quia de eo scriptum est: *votum vovit Deo Iacob*. Votum vovit Deo Patri ut veniret, et redimeret genus humanum: Venit et redemit. Ipse etiam de se ipso dicit: *Caput meum plenum rore, et crines mei guttis noctium*, in quo ab ipso habitu capitis ostendit se verum Nazaraeum, Et hoc sciendum quia omnes illi Nazaraeni in veteri Testamento figuram istius veri Nazareni gerebant, qui est Nazaraeus Nazarenorum, idest Sanctus Sanctorum, et maxime ille fortissimus Sampson poene in omnibus actibus suis figuram istius gessit. Nam sicut ille habuit septem crines, ita et iste habuit septiformem spiritum; et sicut ille occidit Leonem, et mel de ore ipsius abstraxit et comedit, sic et iste interfecit Diabolum, et Sanctam Ecclesiam de

ore eius rapuit, cuius dulcedine bonorum delectatur. Et sicut ille clausus in Gaza media nocte surgens portas ipsius civitatis abstulit, et verticem montis conscendit, sic et Dominus clausus in Sepulcro mortis imperium destruxit, et tertia die resurrexit, ac coelum conscendit; et sicut ille plures interfecit moriens quam vivens; sic et iste plures occidit post passionem quam ante, idest plures fecit converti ad fidem, ut inciperent esse quod non erant, et desinerent esse quod erant.

HOMILIA VII.

REMIGII AVTISSIODORENSIS

IN ILLUD MATTHAEI

Cum natus esset Iesus in Bethleem Iudae in diebus Herodis Regis ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam ec.

USus est Sacrarum Scripturarum in principio rei narrandae tria ponere, personam scilicet, locum, et tempus; et secundum hunc usum et consuetudinem S. Evangelista in principio huius Evangelicae lectionis haec tria posuit. Personam posuit cum dixit: *Cum natus esset Iesus*, Locum cum ait: *in Bethleem Iudae*, Tempus ostendit cum addidit: *in diebus Herodis Regis*, et haec tria ad confirmationem narrandae rei ponuntur. Bethleem prius dicta est Eufrata, sed postquam Iacob Patriarcha pavit ibi pecora sua, videns per Spiritum Sanctum quod ibi nasciturus esset Dominus, mutavit nomen illius, et vocavit Bethleem, idest domum panis:

nis: et bene domus panis dicta est, quia ibi nasciturus erat ille qui de se ipso ait: *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi*. Dicit enim Beatus Hieronymus *Iudae* legendum esse, non *Iudaeae*, quoniam nulla est aliarum gentium Bethleem, ad cuius distinctionem Sanctus Evangelista dixisset Iudaeae. Verumtamen est altera Bethleem in Galilaea, ob cuius distinctionem dixit Iudae, ut demonstraret quod in illa Bethleem natus esset Dominus, quae est in Tribu Iuda. *In diebus Herodis*, Sanctus Evangelista Matthaeus huius alienigenae regis, Herodis scilicet mentionem ideo fecit, ut ostenderet impletam illam Prophetiam Iacob qua dicitut: *Non auferetur sceptrum de Iuda*. Iste Herodes alienigena fuit, patre Hidumaeo, et matre Philistaea. Hunc nutrivit Hircanus, qui fuit ultimus Princeps Iudaeorum, qui cum frequenter mitteret eum Romam ad Caesarem, accepto consilio a Caesare, et consiliariis eius, callide occidit eum, et regnum suscepit. Huius itaque tricesimo primo regni anno natus est Christus. Sed forte

quae-

quaeret aliquis quomodo dicitur *donec veniat* cum non mox sublato sceptro venerit; sed sciendum quod cum aliquoties donec ponitur, aliquod intervallum intelligitur. Nulla est ergo contrarietas, quia jam jamque imminebat ut veniret qui mittendus erat. Ut igitur impleretur, divinitus procuratum est ut ille Hyrcanus moreretur, et succederet ei Herodes alienigena. Sequitur: *Ecce Magi venerunt ab Oriente*. Quaerendum nunc ergo est qui fuerint isti Magi, vel unde venerint; sciendum est autem quia varia est opinio Magorum apud Doctores. Nam alii dicunt illos fuisse Caldaeos, Caldaei enim Stellam pro Deo colebant, et idcirco dixerunt quod nuncupativus Deus eorum ostenderit verum Deum natum. Alii dicunt Persas fuisse propter illum Metrocarii versum.

„ *Tunc jubet & Persas celerem protendere gressum*. „

Nonnulli dicunt illos de ultimis finibus terrae fuisse, sed quaerendum est si Caldaei, vel Persae aut de ultimis finibus terrae fuerunt, quomodo in tam brevi spatio Hierosolymam venire potuerunt,

runt, cum multa maria, multi montes, et multae regiones sint intermediae. Sciendum est autem quia illi qui hoc dicunt solent obicere, quia tunc talis natus est puer, qualis nec ante, nec post; et idcirco facile eos potuit in tam brevi spatio etiam de ultimis finibus terrae ad se perducere; legimus enim breve iter prolungatum, et longum breviatum. Breve iter est de Aegypto in terram repromissionis, quadraginta scilicet dierum, et tamen prolongatum fuit quadraginta annis. Longum iter est de Iudaea in Babylonem; breviatum vero fuit; legitur enim quod in momento unius horae deportatus sit Abacuc Propheta ab Angelo de Iudaea illuc. Alii dicunt eos fuisse nepotes Balaam, quod magis est credendum; Balaam enim multa prophetavit de Christo, et inter cetera dixit: *Orietur Stella ex Iacob.* Illi vero habentes hanc prophetiam, mox ut viderunt stellam novam, intellexerunt regem natum, et venerunt. Et quia regio istorum non longe distat a terra repromissionis filiorum Israel, idcirco in tam brevi spatio tem-

poris

poris Hierusalem venire potuerunt: legitur enim quia postquam filii Israel venerunt ad terminos Ammonitarum non longum post tempus ingressi sunt in terram repromissionis. Sed si nepotes Balaam fuerunt quaerendum est quare dicat S. Evangelista illos venisse ab Oriente. Et sciendum quia quicumque ab illa regione venit, quae in orientali parte posita est, bene ab Oriente venire dicitur. Et ob hoc magis credendum est quod nepotes fuissent Balaam, quia regio Ammonitarum vicina erat terrae Iudaeorum. Spiritualiter vero pulchre isti Magi ab oriente dicuntur advenisse, quia omnes qui ad Deum veniunt ab ipso, et per ipsum veniunt, ipse est enim oriens, ut illud: *Ecce vir oriens nomen eius*; et *Vobis qui timetis Deum orietur sol Iustitiae*. Ergo ad hunc Orientem nemo potest pervenire, nisi veniat ab Oriente, quia sicut ipse dicit: *Nemo venit ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum*. Et item: *Nemo venit ad patrem nisi per me*. Sequitur: *venerunt Hierosolymam*. Hanc urbem tradunt Hebraei

braei Sem primitivum Noe, qui et alio nomine dicebatur Salem, primum in Assyria post diluvium condidisse, et eam a suo nomine Salem vocasse. Ipse est etiam Melchisedech. Postea vero habitaverunt ibi Iebusaei, et a suo nomine appellaverunt eam Iebus, ac per hoc iunctis his nominibus Iebus et Salem, et *eb* versa in *er*, dicta est Hierusalem. Deinde aedificavit in ea Salomon famosissimum templum, et eam multis ornamentis decoravit, et ab eius nomine vocata est Hierosolyma, quasi civitas Salomonis. Post haec destructa est a Caldaeis, et reaedificata est ab Hesdra Sacerdote, et Zorobabel; deinde destructa fuit a Vespasiano et Tito Principibus Romanorum, et reaedificata est ab Hadriano Imperatore, qui et alio nomine vocabatur Helius, et ea de causa dicta est Helia, unde et in Canonibus legitur de Episcopis Heliae civitatis. Praeterea quaerendum est quare Magi Hierosolymam venerunt, cum Dominus ibi natus non sit. Multis vero de causis id factum fuisse constat. Isti enim agnoverunt tempus nativi-

tivitatis, sed tamen locum non cognoverunt. Hierusalem regia civitas erat, et metropolis illius provinciae. Ibi erant Rex et Summi Sacardotes; ibi Scribae et Pharisaei; ibi Arca Domini et famosissimum templum, et ideo Hierusalem venerunt, quoniam crediderunt, quod talis Puer non alibi, nisi in egregia urbe nasci debuisset. Sive ideo venerunt ut locum nativitatis citius discere potuissent, sive ideo venerunt ut adimpleretur quod scriptum est: *De Sion exibit lex, et Verbum Domini de Hierusalem*. Verbum Domini de Hierusalem exivit, quia inde primus adnuntiatus est Christus natus; sive ideo venerunt ne Iudaei inexcusabiles manerent. Poterant ipsi dicere novimus locum nativitatis; tempus vero non cognovimus, et ideo non credimus: sive ideo ut studio Magorum damnaretur pigritia Iudaeorum; isti enim crediderunt uni, illi plurimis credere noluerunt; isti venerunt e longinquo, ipsi remanserunt ex vicino; isti quaesierunt alienum, illi reliquerunt proprium: unde bene lapideis

milliariis adsimilantur, quia viam ostenderunt, sed tamen ipsi remanserunt. In eo quod dicit Evangelista eos venisse ab Oriente, id mystice designatur quia nemo venit ad Orientem nisi ab Oriente, idest nemo venit ad Dominum nisi ab ipso, et per ipsum. Sequitur: *ubi est qui natus est?* Pulcre dicunt ubi est qui natus est, quia scriptum est: *Puer natus est nobis*. Cum dicunt: *Rex Iudaeorum*, intelligitur Rex Confessorum, idest Sanctorum, quia Iudas confessor interpretatur. Et quasi interrogasset eos aliquis, unde scitis vos Regem Iudaeorum natum? Responderunt: *vidimus Stellam eius in Oriente*. Vana est opinio de Stella, sicuti de Magis. Nonnulli enim dicunt fuisse Spiritum Sanctum, ut ipse qui postea super baptizatum Dominum descendit in specie Columbae, ita et nunc in specie Stellae apparuerit Magis: alii dicunt fuisse Angelum, ut ipse qui apparuit Pastoribus apparuerit etiam Magis; alii dicunt fuisse Stellam novam, quod magis est credendum, quia talis puer natus est tunc, qualis nec ante, nec postea, et

ideo talis Stella apparere debuit, qualis nec antea, nec postea apparuit. Et animadvertendum est quia non dicunt Stellam nostram, aut Stellam coeli, sed *eius*, idest novam. Sed quaeri potest quare Domino nato Iudaeis Pastoribus Angelus; Magis autem gentibus non Angelus, sed Stella apparuit. Decebat namque ut Iudaeis ratione utentibus rationabile animal, idest Angelus appareret, et natum Dominum praedicaret; Magis autem gentilibus, tamquam irrationabilibus, irrationabilis creatura, idest Stella apparere debuit, quae Deum in carne adparuisse adnuntiaret. Sciendum est praeterea quia Mathematici unumquemque sub fato nasci putabant, et hoc in adiutorium sui erroris assumpsere, quod quando Dominus natus est, nova Stella apparuit. Sed absit a fidelium cordibus ut fatum aliquod esse dicant; dum enim non Puer ad Stellam, sed Stella ad Puerum cucurrit, aperte demonstratur, quia non Stella fatum Pueri, sed potius, si dicere liceret, his qui apparuit puer, fuit fatum Stellae; quam non

ei ad imperium dominabatur, sed magis ad obsequium famulabatur. Quod vero dicitur *in Oriente*, duobus modis intelligi potest, idest: positi nos in Orientali parte, vidimus Stellam supra Iudaeam, et intelliximus Regem ibi natum; sive positi nos in quacumque regione nostra vidimus Stellam in Orientali parte, et intelleximus Regem natum in Iudaea. Sequitur: *Venimus adorare eum*. His verbis Magi verum Hominem, verum Regem, et verum Deum confessi sunt. Verum hominem cum dixerunt: *ubi est qui natus est*; verum Regem cum aiunt: *Rex Iudaeorum*, verum Deum cum subiungunt: *venimus adorare eum;* quia praeceptum fuit in lege ut nullus adoretur nisi Deus. Herodes interpretatur Pellicius, sive Pellis-gloria, et significat Diabolum, qui bene pellicius dicitur, quia protoplastos spoliavit stola immortalitatis, et fecit eos indui tunicas pelliceas, et quia gloriabatur se vicisse eos, ideo ab ipsa victoria accepit nomen Pellis-gloria. Regnante igitur Herode, idest regnante Diabolo

bolo in mundo natus est Christus in Bethleem, quae panis domus interpraetatur, et Sanctam Ecclesiam significat, in qua quotidie notitia Christi invenitur. Moraliter Bethleem significat unamquamque animam fidelem, quae est domus panis, scilicet Dei, secundum hoc quod scriptum est: *Anima Iusti sedes est sapientiae*, sapientia vero Dei Patris Christus est. Ergo si anima Iusti sedes est sapientiae, sedes est Christi, et habitaculum Dei, secundum hoc quod Paulus ait: *Templum Dei Sanctum est, quod estis vos*. Nam si aliquis de vitiis ad virtutes, de infidelitate transit ad Fidem, in Bethleem nascitur Christus, idest in anima fideli quotidie formatur Christus, quotidie nascitur per bonas cogitationes et operationes, et quotidie lapidatur et extinguitur per malas cogitationes et operationes. Nam quotquot malas cogitationes homo in se suscipit, quasi tot lapides in Iesum iactat; et si ipsas malas cogitationes ad deliberationem vel ad effectum perduxerit, tunc Christum in se extinguit, idest Gratiam Christi.

Pau-

Paulus Apostolus manifeste loquens ad Galatas ait: *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*. Parturierat eos prius per praedicationem, et formaverat Christum in eorum cordibus per fidem; sed extinctus fuerat in eis Christus per praedicationem Pseudo apostolorum, et ideo laborabat egregius praedicator ut iterum eos parturiret, et formaret Christum in cordibus eorum. Hierusalem interpretatur etiam visio pacis, et significat primitivam Ecclesiam; Magi vero significant primitias gentium; nam sicut Magi docti sunt locum nativitatis Domini ab Iudaeis, sic et primitiae gentium didicerunt fidem a primitiva Ecclesia, idest ab Apostolis. Sequitur: *Audiens autem Herodes Rex turbatus est*. Dicit Beatus Gregorius: Rege Coeli nato, Rex terrae turbatus est, quia nimirum altitudo terrena confunditur, cum Celsitudo Coelestis aperitur: tanto enim humana potestas et terrena superbia comprimitur, quanto magis Dignitatis potentia agnoscitur, et comprehenditur. Quare turbatus est Herodes?

des? pro duabus causis. Turbatus est quia timebat privari regno terreno; sive turbatus est, idest iratus et indignatus quare ausus fuisset aliquis appellari Rex absque jussione Caesaris. Quaeri potest quare dicat totam Hierosolymam turbatam. Numquid turbatus est Simeon et Anna, aut ceteri fideles qui ibi erant? Non; sed solvitur haec quaestio per sinecdochen speciem grammaticae artis, quando a parte totum, vel totum intelligitur a parte; et quia maior pars turbata est, ideo dixit Evangelista totam turbatam; sive ideo totam turbatam dicit, quia perturbatio Regis solet esse turbatio totius populi, et secundum hanc consuetudinem dixit omnem Hierosolymam turbatam; alii enim turbabantur veraciter, alii vero simulate. Sequitur: *et congregans omnes Principes Sacerdotum, et Scribas populi sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur*. His verbis demonstratur Herodem alienigenam fuisse; nam si Iudaeus fuisset Prophetiam haberet notam, et locum nativitatis non ignorasset. Scribae dicti sunt non tan-

tantum ab officio scribendi, sed potius ab interpretatione Scripturarum; erant enim legis doctores. Animadvertendum praeterea quia non dixit: ubi Christus natus est, sed ubi nasceretur; callide enim interrogavit eos ut posset cognoscere si ipsi laetarentur de suo Rege nato, annon; at ipsi ostenderunt locum, et testimonio Prophetae adfirmaverunt dicentes: *sic enim scriptum est; et tu Betheleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda*. Hic reprehenduntur Iudaei de ignorantia, quoniam Propheta dixit: *Tu Bethleem Eufrata*, illi vero dixerunt solummodo tu Bethleem terra Iuda, praetermittentes Eufrata. Quod vero dicit: nequaquam minima es in Principibus Iuda, talis est sensus: quamvis minima videaris inter Urbes Principatum habentes, tamen non es minima, *quia ex te exiet Dux, qui regat populum meum Israel*. Dux iste David, sive Christus intelligendus est. Si David intelligatur, ipse quidem iubente pariter, et iuvante Domino nobiliter rexit populum Israeliticum, quamvis tempo-

tali-

raliter; sed quia propheta futura praedicabat, dux iste magis intelligendus est Christus quia una cum Patre et Spiritu Sancto populum suum fidelem in se credentem aeternaliter regit, atque gubernat, et ad visionem perpetuae patriae introducit. Sequitur: *Tunc Herodes clum vocatis Magis*. Tunc quod dicit, ad superiora refertur, idest postquam locum nativitatis didicit a scribis et Pharisaeis. In hoc loco deficit historia, quoniam non narrat Sanctus Evangelista quantum tempus ostenderint Magi ex quo Stella apparuit, et idcirco varia est opinio de adventu Magorum. Quidam vero dicunt illos venisse tertiodecimo die ab eius nativitate; quidam autem tertiodecimo die post unum annum; quidam videlicet post duos annos, et non in Bethleem sed in Aegypto peperisse. Sed magis credendum est quod isti fuerint Nepotes Balaam, scut supradiximus, et tertio decimo die ad eum venisse, et non in Aegypto, sed eum in Betheleem reperisse: *Didicit diligenter ab eis tempus Stellae*. Et quare diligenter?

ter? Idcirco quia callidus erat Herodes; timebat enim ne ipsi reverterentur ad eum; et ideo diligenter didicit tempus Stellae, ut si non reverterentur, ille sciret quid ageret, idest interficeret omnes pueros qui erant in Betheleem, et in omnibus finibus eius. *Et mittens illos in Bethleem dixit: ite et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.* Callide quoniam Herodes Dominum quaerere, et eum simulate se velle adorare dixit, idcirco invenire numquam promeruit. Significat enim Herodes in hoc loco Hypocritas, qui quoniam Dominum simulate quaerunt, invenire numquam merentur. De talibus scriptum est: *non apparebit in conspectu Dei omnis Hypocrita.* et item: *Tollatur impius ne videat maiestatem Domini.* Et Iob dixit: *Callidi, et simulatores provocant iram Dei.* Et hoc sciendum quia deteriores sunt illi qui provocant iram Dei, quam qui eam merentur; illi enim merentur qui aperta mala faciunt; illi vero provocant qui sub habitu Sanctitatis mala operantur.

Qui cum audissent abierunt. Isti enim audierunt Herodem ut quaererent Dominum, verumtamen non audierunt ut ad eum reverterentur. Significat Herodes in hoc loco malos praedicatores qui bona quidem praedicant, sed mala operantur; Magi vero significant bonos auditores, qui bona quidem quae audiunt a malis praedicatoribus faciunt, sed tamen opera illorum non imitantur, de quibus scriptum est: *Super Cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei; omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite; secundum vero opera illorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt.* Sequitur *Et ecce Stella quam viderant in Oriente antecedebat eos, donec veniens staret supra ubi erat puer.* Illud autem sciendum quia Magi mox ut ingressi sunt ad Herodem perdiderunt Stellam, cum vero egressi sunt promeruerunt Stellam rursus invenire; significat enim Herodes in hoc loco Diabolum, Stella vero significat Gratiam Dei; quicumque ergo intrat ad Herodem, idest ad diabolum, et ei se subdit per aliquod peccatum, mox per-

perdit Stellam, idest Gratiam Dei; quod si quis divina gratia adiutus per poenitentiam recesserit ab Herode, idest a Diabolo, mox invenit Stellam, scilicet Dei gratiam. Et pulcre dicit S: Evangelista: donec veniens staret supra ubi erat Puer, quia Stella non deseruit Magos, donec perduxit eos usque ad domum Pueri; et significat quod quia Gratiam Dei quos semel suscipit, non dimittit donec perducat ad domum Pueri, idest ad Sanctam Ecclesiam, ut eius unitati coniungat. *Videntes autem Stellam gavisi sunt gaudio magno valde*. Et sciendum quod non satis fuit dicere Evangelistae gavisi sunt, sed addidit gaudio, et non solum gaudio, sed magno; et quasi neque illud sufficeret addidit, valde. Quid vero per exaggerationem istorum verborum voluit S. Evangelista demonstrare, nisi quia maius gaudium habent homines de rebus perditis et iterum inventis, quam de semper possessis? Verbi gratia habet homo bonum castitatis, sed fraude diaboli deceptus incidit in fornicationem, et involvi-

tur

tur in ipso peccato in tantum ut desperet se ultra castitatem servare posse. Sed si gratia Dei adiutus surrexerit per poenitentiam, et bonum castitatis servare coeperit, maius gaudium habebit, quam si semper castus fuisset. Item habet homo spiritum prophetiae, sed fraude diaboli deceptus perdit eumdem spiritum, sed si gratia Dei adiutus surrexerit per poenitentiam, et eumdem spiritum susceperit, maius gaudium habebit, quam si semper habuisset. Hinc est quod David ardenter orabat dicens: *Redde mihi laetitiam salutaris tui*. Laetitiam salutaris appellat spiritum prophetiae, quo viderat Christum nasciturum de semine suo. Habuit enim is spiritum prophetiae, sed fraude diaboli deceptus incidit in adulterium, et perdidit eumdem Spiritum prophetiae; sed postquam surrexit per poenitentiam, et suscepit eumdem Spiritum, maius gaudium habuit, quam si semper habuisset. Sequitur: *et intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre eius*. Bene Puer praefertur Matri, quia

ante fuit Puer quam Mater. *Et apertis thesauris suis*. Tràditio antiquorum fuit ut nullus ad Dominum, ad Regem vacuus intraret, et quia isti verum Regem, et verum Dominum existimaverunt, ideo non vacui venerunt. Miranda et stupenda sunt Opera Dei. Ecce Angelus alloquitur Zachariam, et Helisabeth parituram nuntiat, Sacerdos non credens mutus efficitur. Angelus alloquitur Pastores, Stella de remotis partibus Magos ad Dominum adducit: Magi parvulum vident, magnum credunt: hominem vident, Deum adorant; in Praesepio ponebatur, qui mundo non capiebatur, in manibus portabatur, qui totum muudum sustentabat. Et quare hoc? quia ipse erat de quo scriptum est: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, et factus est Principatus super humerum eius*. Principatus eius factus est super humerum eius quia humeris gestavit Crucem per quam redemit Ecclesiam, in qua nunc principatur per gratiam. Et sciendum quia isti Magi tres Reges fuerunt, et quod ipsi ad Dominum venturi essent, et

munera oblaturi, longe ante praedixerat Psalmista cum ait: *Reges Tharsis et insulae munera offerent*; et quod aurum oblaturi essent ipse Psalmista praedixit cum ait: *Dabitur ei de auro Arabiae.* Et quod aurum et thus delaturi essent Isaias praedixit cum ait: *Omnes de Saba venient aurum et thus deferentes*. De his etiam Psalmista dicit: *Venient legati ex Aegypto*; et sciendum quia isti Magi primitiae gentium fuerunt, et quasi de latitudine totius gentilitatis ad impetrandam pacem missi sunt; recesserat enim gentilitas a Creatore suo per culturam Idolorum, et ideo istos tres legatos misit ut impetrarent pacem. Et sciendum quia isti non singuli singula, sed singuli tria, idest unusquisque eorum obtulit aurum, thus, er myrram, et his sacris muneribus quae obtulerunt verum Regem, verum Deum, et verum Hominem eum praedicaverunt; auro Regem, thure Deum, myrrha mortalem. Aurum enim solet esse pretiosius in regalibus donis; thus in Dei Sacrificio ponebatur; myrrha vero mortuorum corpora condiebantur,

ut

ut diutius inlaesa servari possent; et haec tria quotidie obfert ei Sancta Ecclesia, quia verum Regem, verum Deum, et verum Hominem confitetur. Sed fuerunt Haeretici qui obtulerunt ei thus et non aurum, quia crediderunt eum Deum, sed non semper cum Patre regnasse; et fuerunt qui obtulerunt ei aurum et non thus, quia crediderunt eum regem et non Deum; item fuerunt qui obtulerunt ei myrrham et non aurum, neque thus, quia purum hominem eum crediderunt. Nos ergo Regi nostro Christo obferamus aurum, idest verum regem credamus; obferamus ei thus, idest verum Deum adoremus; obferamus ei myrrham; idest verum hominem veneremur. Aliter per aurum designatur coelestis sapientia, unde Salomon ait *thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis*; per thus intelligitur oratio munda, ut illud: *dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*; per myrrham mortificatio carnis; unde Ecclesia in Canticis Canticorum de suis fidelibus pro Deo usque ad mortem certantibus dicit

dicit: *manus meae distillaverunt myrrham* et item *Messui myrrham meam cum aromatibus*, et alibi: *Quae est quae adscendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris, et universi pulveris pigmentario?* Tunc ergo ei aurum obferimus quum in conspectu eius luce coelestis sapientiae resplendemus; tunc thus, quum mundam ad eum orationem dirigimus; tunc tandem myrrham, quando per abstinentiam carnem nostram a vitiis mortificamus. Sequitur: *et admoniti in somnis*. Nam quod isti ad Deum venturi essent, et munera oblaturi, et ad Herodem ultra non reversuri, Isaias Propheta una sententia comprehendit dicens: *Antequam sciat Puer vocare Patrem aut Matrem, suscipiet virtutem Damasci, et spolia Samariae contra Regem Assyriorum*. Vittutes Damasci appellat istos tres Reges, spolia Samariae munera quae obtulerunt, Regem Assyriorum appellat Herodem. Iste puer antequam scivisset vocare patrem aut matrem, secundum humanitatem, suscepit virtutem Damasci, quia istos tres Reges

de

de longinquis finibus ad se venire fecit, et suscepit spolia Samariae, quia suscepit munera quae obtulerunt contra regem Assyriorum, quia contra voluntatem Herodis fecerunt ut ad eum non reverterentur. Sequitur: *per aliam viam reversi sunt in regionem suam*. Spiritualiter debemus imitari istos Magos, et per aliam viam reverti in regionem nostram. Regio quippe nostra Paradisus est a qua discessimus per peccatum primi hominis; discessimus enim ab illa regione superbiendo, vetitum cibum comedendo; necesse est ergo ut per aliam viam revertamur ad eam, idest humiliando, praeceptis Dei obediendo, et visibilia contemnendo.

HOMILIA VIII.

REMIGII AVTISSIODORENSIS

IN ILLUD MATTHAEI

Cum descendisset Iesus de Monte, sequutae sunt eum turbae multae, & ecce Leprosus adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

MOns iste de quo Sanctus Evangelista narrat Dominum descendisse, quis fuerit, aut ubi fuerit, sicut quidam Sancti Doctores autumant, iam notum est. Spiritualiter mons iste significat Coelum; descensio Domini de Monte incarnatonem ipsius, quia semetipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem: tunc quippe Dominus de Monte descendit, quando carnem nostrae mortalitatis suscepit. Et pulcre postquam narrat Sanctus Evangelista Dominum descendisse de Monte subiunxit: *Sequutae sunt eum turbae multae*; quia ille qui solus prius in Iudaea tantum notus erat, et cuius nomen ma-

magnum solummodo in Israel habebatur; postquam *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, admirabilis factus est in universo orbe, et sequutae sunt eum turbae multae, quia omnes gentes, omnes linguae, omnes sexus, omnesque aetates credentes in eum imitatae sunt vestigia ipsius. *Et ecce leprosus veniens adorabat eum*. Iste sane leprosus non poterat Montem adscendere; nec enim poterat plenus lepra tam multiplicem Domini audire Sermonem. Et sciendum quia iste primus post Magos Dominum adoravit, et postquam Dominus de Monte descendit primus iste legitur sanatus, deinde puer Centurionis, tertio vero loco socrus Petri. Iste nimirum leprosus magnae fuit fidei, humilitatis, atque constantiae. Exclusus namque erat praecepto legis a castris, et intelligebat se lege non posse salvari; iudicavit autem Gratiam Dei non esse sub lege, sed supra legem, et idcirco credidit se gratia Domini posse salvari, et propterea accessit ut sanaretur. Nam sicut in Domino creditur potestas curandi, sic et

in isto est inspicienda fidei constantia. Et qualiter adoraverit, ceteri Evangelistae narrant, dicunt enim quia procidens adoravit eum, sive genu flesso. In eo vero qui adoravit, verum Deum ostendit se credere, quoniam praeceptum erat in lege ut nullus adoraretur nisi Deus. Procidere itaque sive genuflectere signum est humilitatis et verecundiae, sed et ipse verecundia non repressit bonum confessionis; nam humiliter accessit, vulnus ostendit, et remedium postulavit. Et ipsa confessio plena fuit fidei, religionis, atque magnae honestatis: ait enim: *Domine, si vis, potes me mundare*. In voluntate Domini tribuit potestatem, ille quippe qui voluntate Domini postulabat, de potestate non dubitabat, et de voluntate Domini non quasi incredulus pietatis dubitavit, sed memor suae fragilitatis, et conscius suae colluvionis non praesumpsit; et est sensus: Adest potestas, adsit voluntas tantum. *Et extendens Iesus manum tetigit eum dicens: volo, mundare*. Quaerendum est quare Dominus manum extendit, et tetigit. Numquid

quid non poterat absque tactu curare? Certe poterat etiam solo verbo, iuxta praeceptum tamen legis si quis tangebat leprosum coinquinabatur. Dominus ergo ut ostenderet se non esse subditum legi, sed supra legem, idcirco manum extendit et tetigit, et qui tactu leprae coinquinari non poterat, suo ipse tactu alios curare volebat. O miranda Domini humilitas et mansuetudo! Eo quippe genere et ordine quo fuerat obsecratus contulit santitatem. Ait namque Leprosus: *si vis*, et Dominus respondit: *volo*, et Leprosus subiunxit: *Potes me mundare*, et ipse addidit imperando *mundare*. Haec siquidem duo verba, sicut dicit Beatus Hieronymus, non sunt coniunctim proferenda, ut quidam latinorum autumant, sed separatim ut prius dicatur *volo*, deinde imperando subiungatur: *mundare*. Volo enim dixit propter Photinum qui eum veram animam sumpsisse negabat, et loco animae Divinitatem habuisse dicebat, et ideo Dominus dixit *volo*, ut ostenderet se veram animam sumpsisse; et quia voluntas

ex

ex animo procedit, imperavit propter Arium qui dicebat eum minorem esse Patre, et idcirco extendit, ut ostenderet se aequalem esse Deo Patri. Manum autem extendit et tetigit propter Manichaeum qui negabat eum veram carnem sumpsisse, et ideo tetigit ut se veram carnem habere demonstraret. Et pulchre postquam Dominus dixit *Mundare*, Sanctus Evangelista subiunxit: *Et statim mundata est lepra eius*. Ostendit itaque his verbis quia haec curatio non fuit fortuita, neque more medicorum per intervalla temporis restituta, sed Dei potestate absque ulla mora est collata. Et sciendum quia in eo quod Dominus ait *Mundare*, confestim mundata est lepra eius, ostendens sanctus Evangelista, qui haec de suo addidit, nihil esse medium inter voluntatem Dei et opus. quia scriptum est: *Ipse dixit, et omnia facta sunt; mandavit et creata sunt*, ac per hoc voluntas manet in operibus, et opera in voluntate, et voluntas manet in potestate, et potestas in voluntate. *Et ait illi Iesus,*

vide

vide nemini dixeris. Quare Dominus praecepit ei ut nemini diceret? Quid enim necesse fuerat occultare sermonem quod manifestabat corpore? Idcirco praecepit ei nemini dicere, ut nobis relinqueret exemplum, quatenus nostra bona opera et beneficia non velimus publicare, et manifestare, sed magis reprimere et occultare, et non solum abstineamus nos a mercede pecuniae et muneris, sed etiam a mercede gratiae et laudis humanae. Sequitur: *Sed vade ostende te Sacerdoti, et offer munus quod praecepit Moises in testimonium*. Et notandum quia multos legitur Dominus curasse, sed nullum ad Sacerdotes misit, nisi solos leproros. Et varias ob causas ad Sacerdotes misit, deferens debitum honorem sacerdotibus, ut nobis relinqueret exemplum humilitatis, quatenus debitum honorem Sacerdotibus semper impendere studeamus; sive ideo misit ut dum viderent eum purgatum intelligerent Dominum non esse sub Lege, sed super legem, et crederent eum non per legem esse sanatum, sed per Gratiam

tiam Dei quae est supra legem. Aliter ut dum viderent eum mundatum, si credere vellent, salvarentur, alioquin inexcusabiles manerent. Alio modo quia praeceptum erat in lege, ut ad adspectum sacerdotum indicarentur utrum essent mundi; an immundi; sive ideo misit ne videretur esse transgressor legis, quod ipsi frequenter in eo calumniabantur. Forte dicet aliquis; quare non retinet adhuc sancta Ecclesia illud Mosaicum Sacrificium, quod Dominus videtur approbasse? Sciendum tamen quia illa sacrificia figuram gestabant istius veri Sacrificii quod est Sanctum Sanctorum, nondum quippe fuerat hoc verum Sacrificium manifestatum, hoc est Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quia nec dum corpus suum obtulerat Deo Patri in ara Crucis pro salute generis humani; et ideo non decebat ut illa significantia Sacrificia prius tollerentur, quia hoc verum Sacrificium manifestaretur; nec etiam decebat ut typus et umbra recederent priusquam veritas et lux appareret.

Quod autem dicit in testimonium illis, talis est sensus: Si in Domino credant, si lepra impietatis ab illis abscedat; sive ut sis in testimonium illis, quoniam Omnipotens sum, et eos salvare possum, si in me crediderint, sicut et te vident sanatum. Spiritaliter mons iste significat Coelum, sicut supra diximus; Dominus de monte descendit, quia Dei filius cum esset invisibilis et immortalis, pro salute humani generis factus est visibilis, atque mortalis; unde dicit Psalmista: *a summo Coelo egressio eius*. Postquam autem descendit Dominus de monte *sequutae sunt eum turbae multae, et ecce leprosus veniens adorabat eum*. Vir iste typice universum genus humanum significat peccatis languidum, unde bene non solum leprosus dicitur, sed etiam, secundum Evangelium Lucae, plenus fuisse lepra describitur; quia universum genus humanum lepra infidelitatis, et maculis omnium vitiorum erat corruptum et foedatum: unde dicit Apostolus: *Omnes enim peccaverunt, et egent gratia Dei*.

Qua gratia? Extensione manus Iesu; omnes enim indigebant ut Dei filius fieret filius hominis; ut incarnato Dei Verbo ipsi a lepra infidelitatis et maculis omnium vitiorum purgarentur. In eo vero quod procidens adoravit eum, et subiunxit dicens: *Domine, si vis, potes me mundare*; fides Ecclesiastici populi designatur, qui filium Dei et omnipotentem credidit, et omnem copiam suae salvationis in voluntate ipsius collocavit; nam nihil est aliud dicere: Domine, si vis, potes me mundare, nisi omnipotentem eum credere. *Et extendens Iesus manum tetigit eum*. Per extensionem manus Iesu ipsius incarnatio designatur; tunc nam Dominus manum extendit et leprosum tetigit, quando misericorditer nostram naturam suscepit, et lepram infidelitatis, et maculas omnium vitiorum potenter purgavit. Et ad hoc respicit quod ait *volo*, quia *voluntarie nos genuit verbo veritatis*; quod autem ad illud *mundare*, ad illud profecto respicit quod alibi dicit: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium*

omni

omni creaturae: In eo vero quod Evangelista subiungit: et *confestim mundata est lepra eius*, ad hoc refertur quod illic subditur: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit*. Et cum ait illi Iesus: *nemini dixeris*, docetur his verbis Ecclesiasticus populus ut mysteria suae salutis et fidei suae sacramenta non passim obtrectatoribus, et oppugnatoribus sanctae Ecclesiae committant, quod alibi aperte Dominus docet dicens: *nolite Sanctum dare canibus, neque margaritas vestras mittatis ante porcos*. Sequitur: *sed vade, ostende se Sacerdoti, et offer munus quod praecepit Moises in testimonium illis*. Sacerdos iste cui iubetur leprosus offerre, ille est intelligendus de quo Psalmista ait: *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec*; monetur namque his verbis Populus Ecclesiasticus ut' illud legale sacrificium quotidie recolat, et iugiter Deo Patri offerat, quod pro emundatione leprosi in figura obferebatur, et postea veraciter pro salute totius generis humani est oblatum. Praeceptum nam-

namque fuit in lege ut leprosus pro emundatione sua duos passeres offerret Sacerdoti, quos Sacerdos accipiens, utrosque Domino obferret, et unum immolaret cum ligno cedrino et cocco, et fasciculo hyssopi in vase fictili super aquas, alterum vero intingeret in sanguine immolati passeris, et dimitteret eum liberum avolare in agro; Leprosus vero septies aspergeretur cum fasciculo hyssopi de sanguine immolati passeris, et septimo die raderet omnes pilos capitis sui, et barbae, et totius corporis, ut octavo die mundus redderetur castris. Per hoc sacrificium nonnulli intelligunt passionem Domini nostri Iesu Christi, per quam universum genus humanum a lepra infidelitatis, et maculis vitiorum est ereptum. Per duos passeres intelligunt duas Domini substantias animae scilicet et carnis, quas ex Sancta Virgine sumpsit. Per lignum cedrinum, lignum sanctae Crucis significatur; per coccum, qui est rubei coloris, effusio Sanguinis Domini; per unum passerem, qui immolabatur, designatur quia Dominus noster

ster Iesus Christus solummodo corpus suum in ara Crucis pro salute totius generis humani Deo Patri obtulit; per alterum qui intingebatur in Sanguine immolati passeris, significatur quia dolor Passionis ad animam refertur, et per animam dolorem Passionis sensit. Per hoc vero, quod liber dimittebatur avolare in agro, designatur quia, peracto Dominicae Passionis mysterio, Dominus noster Iesus Christus tertia die resurgens a mortuis, de agro, idest de hoc mundo, quadragesimo die in Coelum adscendit; unde dicit Psalmista: *et occursus eius usque ad summum eius*, et item: *adscendit super Cherubim, et volavit super pennas ventorum*. Per fasciculum hyssopi Sancti designantur Apostoli: per aquas, aquae Sacri Baptismatis; per hoc quod Leprosus septies adspergebatur cum fasciculo hyssopi de sanguine immolati passeris, septem dona Sancti Spiritus. Mystice quidem significabatur quia universum genus humanum redemptum Sanguine Christi per praedicationes Sanctorum Apostolorum, et per aquam Sacri Baptis-

ptismatis, et septem dona Spiritus Sancti consequutum est remissionem omnium peccatorum; unde Psalmista ait: *Asperges me, Domine hyssopo, et mundabor*. Per septenarium numerum omnis status istius vitae praesentis designatur, quae septem diebus volvitur; per diem octavum, dies Resurrectionis; et per hoc quod Leprosus septimo die radebat omnes pilos capitis sui, et barbae, et totius corporis, ut octavo die mundus redderetur castris, significabat quia in hac praesenti vita abscindenda sunt vitia, et purganda sunt peccata, quatenus octavo die Resurrectionis illi qui prius erant Leprosi et immundi, purgati et mundati a lepra infidelitatis, et maculis vitiorum, mereantur aggregari coetibus Sanctorum. Moraliter per hunc leprosum non incongrue designatur peccator; quid enim aliud sunt peccata, nisi lepra? Nam si lepra immundam, et variam, et maculosam reddit cutem; sic et peccata immundam et variam et miseram faciunt animam. Iste namquam leprosus in montem adscendere

dere non potest, quia peccator coelestia contemplari non valet. Et quid illi agendum est? Numquid desperandum? Non, inquam, sed quoniam ad Montem adscendere non potest, necesse est illi ut Iesum de Monte descendere videat. Totiens itaque leprosus Iesum de Monte descendere videt, quotiens peccator reminiscitur quia Dominus pro salute peccatorum de Coelis descendit ad terras. Tunc enim leprosus procidens adorat Iesum, quando peccator de pristinis confunditur, et tunc in facie cadit, quando in recordatione scelerum suorum peccator erubescit; unde Beatus Paulus Apostolus quibusdam peccatoribus iam conversis, sed adhuc in facie iacentibus dicebat: *Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Attamen ipsa confusio non debet reprimere medicamentum poenitentiae; nam leprosus vulnus ostendit, et remedium postulavit. Similiter peccator debet confiteri scelera sua, et remedium poenitentiae postulare, dicens: Domine, si vis, potes me mundare, quasi

si dicat aliis verbis: multa sunt peccata mea Domine, sed multo maior est tuae pietatis miseratio: meum est rogare ut velis, sed tuum est peccata mea velut nebulam delere. Et extendens Iesus manum tetigit eum dicens: *volo*. Per extensionem manus Iesu adiutorium divinae miserationis designatur; tunc enim Iesus manum extendit, quando auxilium divinae miserationis peccatori impendit; et tunc leprosus manu Iesu tangitur, quando per occultam miserationem peccator reviviscit. In eo vero quod ait: volo: affectus divinae pietatis demonstratur, quem habuit erga salutem peccantium, quasi diceret: o peccator sollicitus es utrum velim tibi dimittere peccata an non, sed noveris quia volo; et hoc est quod per Prophetam dicit: *nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat*. Per hoc quidem quod Dominus imperando ait: *mundare*, et Sanctus Evangelista subiunxit: et confestim mundata est lepra eius, demonstratur quia mox ut Dominus misericorditer dignatur respicere peccatorem, sicut respexit

xit Petrum lacrimantem. Et ait illi Iesus: *vide nemini dixeris, sed vade ostende te Sacerdoti*. His verbis monetur peccator jam conversus ut mysteria suae salutis, et quaelibet sacramenta divina non passim quibuscumque conmittat. Per hoc itaque quod tam sacra lex est ut et Dominus leprosos ad Sacerdotes direxerit, designatur quia cum aliquis de Gentili errore, aut Iudaismo, seu haeretica pravitate vult reverti ad societatem sanctae Ecclesiae, non debet suscipi priusquam se offerat sacerdoti, quatenus fides ipsius judicio sacerdotis approbetur. Similiter cum pro aliquo peccato quis repellitur de Ecclesia, non aliter debet reconciliari, nisi Sacerdotis iudicio. Quod de capitalibus et criminalibus peccatis est intelligendum, pro quibus homines a societate Sanctae Ecclesiae repelluntur; ceterum nam minores culpae, idest minuta et levia peccata quotidiana fratrum confessione purgantur, iuxta illud Iacobi Apostoli: *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini*. Sacerdos iste Domi-

nus Iesus Christus, sicut supra diximus, est; templum enim est homo, idest anima, unde dicit Apostolus: *Templum enim sanctum est, quod estis vos.* Sed ubi debet peccator quaerere hoc sacrificium, quod obferat Sacerdoti? Intrinsecus quidem iuxta illud Psalmistae: *In me sunt, Deus, vota tua, quae reddam laudationes tibi.* Et item: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; et alibi: *Holocausta medullata obferam tibi.* Et Apostolus: *Obsecro vos per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem rationabile obsequium vestrum.* Debet quippe peccator illud legale sacrificium quotidie obferre Sacerdoti, idest duos passeres. Per duos passeres nonnulli intelligunt duas substantias hominis, hoc est corpus et animam, hos namque utrosque passeres debet Leprosus obferre Sacerdoti, quia peccator totum se debet libare Deo. Tunc enim unus passer immolatur, quando corpus affligitur, et vitia carnis mortificantur, nam quanto magis unus passer immolatur, tanto magis alter liber

ber dimittitur ad volandum in agrum, quia quo magis corpus affligitur, et vitia carnis mortificantur, eo magis anima redditur libera ad contemplanda coelestia. Et hoc ipsum cum ligno cedrino, quia peccator ad imitationem Dominicae passionis se Deo obferre debet; et cum fasciculo hyssopi; hyssopus enim est herba humilis, purgans pectus, cuius radix scindit saxa; unde bene per hyssopum virtus humilitatis designatur, quae saxeum pectus scindit et purgat. Per vas fictile potest intelligi corpus, quia peccator in ipso corpore agere debet in quo manet. Per aquas vivas designantur Scripturae, et oportet ut peccator haec omnia ad exemplum sacrarum Scripturarum agat.

HOMI-

HOMILIA IX.

REMIGII AVTISSIODORENSIS

IN ILLUD MATTHAEI

Adscendente Iesu in naviculam sequuti sunt eum discipuli eius, et motus magnus factus est in mari.

IN hac quoque navigatione duae substantiae unius eiusdemque personae Domini nostri Iesu Christi demonstrantur, Divinitatis scilicet et humanitatis. In eo autem quod dormivit ostenditur substantia humanitatis, in hoc vero quod surgens imperavit ventis et mari, et reddidit tranquillitatem, substantia Divinitatis demonstratur. Sunt namque opera quae tantum ad substantiam humanitatis pertinent, et item sunt alia quae solummodo ad substantiam Divinitatis referuntur. Nam dormitio tantum humanitati congruit, et non Divinitati; surgere autem et ventis imperare, et mare pacificare, solius Divinitatis est: in hoc quippe loco de-

destruuntur errores illorum qui dixerunt unam esse Domini nostri Iesu Christi substantiam, quemadmodum una et Persona. Sed valde admirandum est quoniam ille dignatus est adscendere in parvum lembum, qui sua virtute omnia quae subsistunt continet, regit, et gubernat. Ille ascendit navim quia omnia ex nihilo creavit; ille autem dormivit in navi, de quo scriptum est: *qui non dormitat, nequo dormiet custodiens Israel*. His nempe verbis aperte ostenditur, quia creaturae sentiunt imperium sui creatoris; attamen in eo quod elementa sentiunt imperium sui creatoris, non est intelligendum iuxta opinionem Haereticorum, qui dixerunt omnia esse animantia, sed sciendum quod ea quae nobis sunt insensibilia, Deo omnium rerum conditori sunt sensibilia. Et quia futurum erat quod Dominus Iesus Christus dormiret, et Discipuli eius illum suscitarent, idcirco David longe ante prophetando praedixit in persona Apostolorum dicens: *Exurge quare obdormis Domine*; Et quod ille nihilominus imperaturus esset mari, idest

tur-

turbatae sunt Abyssi, multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes altissimo, nubes siquidem in hoc loco Sancti Apostoli sunt intelligendi; tunc itaque dederunt nubes vocem Altissimo, quando Sancti Apostoli valida vo-voce clamaverunt dicentes: *Domine salva nos perimus*. Et tunc futurum erat quod imperaret ventis; idem enim propheta David antea ostendit dicens: *dixit et stetit Spiritus procellae*. Et quod ipse Dominus Iesus Christus tantam tranquillitatem facturus esset, ut homines admirarentur dicentes: *Qualis hic est, quia venti et mare obediunt ei*. Idem Propheta loquitur dicens: *qui descendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis; ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia eius in profundo*. Sequitur deinde: *Porro homines mirati sunt dicentes, qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* Homines qui mirati sunt, sicut placet Beato Hieronymo, non sunt intelligendi Sancti Apostoli, sed nautae, vel ceteri qui cum ipso erant in navi. Et bene admirati fuisse dicuntur quia homines erant, idest carnales.

nales. Sed si quis contentiose voluerit dicere quia Sanctus Evangelista homines Apostolos appellat, respondendum est quoniam et ipsi bene homines dicti sunt, quia nondum habebant illam perfectam fidem, quae grano sinapis assimilatur, unde alius Evangelista dicit: *nondum perfectae erat fidei*; si enim perfectam fidem habuissent, intelligerent quia nullus praesente Domino perire potuisset. Allegorice per hoc mare quod Dominus cum discipulis suis transire cupiebat, recte huius mundi amarus et tenebrosus aestus designantur; et quod mare praesens seculum designet, Psalmista manifestat dicens: *Hoc mare magnum et spatiosum, ibi reptilia quorum non est numerus; animalia pusilla cum maioribus*. Et qualiter Dominus hoc mare transierit manifestat Evangelista cum ait: *Adscendente eo in naviculam sequuti sunt eum Discipuli eius*. Navicula haec nulla melius intelligi potest quam arbor sacratissimae Passionis, cuius adminiculo et beneficio quique fidelium fulti mente, hoc mare tenebrosum et amarum calcant et despi-

despiciunt, et quasi ad soliditatem securi littoris, idest ad requiem beatam tendunt. Tunc Dominus in navim adscendit dormiturus quum in cruce elevatus est moriturus; et tunc in navi dormivit, quum in Cruce positus inclinato capite Spiritum emisit. Quod autem sequitur: *sequuti sunt eum discipuli eius*, mystice designatur quia Sancti Apostoli sequuti sunt vestigia passionis eius; nam quid est Dominum sequi, nisi vestigia passionis eius imitari? Hinc est quod ipse exponit, ubi praedicans mysteria suae Passionis et Resurrectionis, coarctando subiunxit dicens: *Si quis vult post me venire abneget semetipsum, et tollat Crucem suam, et sequatur me*. Multi enim videntur tollere Crucem suam, sed non illis prodest, quia non sequuntur Christum, idest vestigia passionis eius non imitantur. Oportet ergo ut quicumque vult hoc mare amarum et tenebrosum transire tollat Crucem suam, et Christum sequatur, idest vestigia passionis eius imitetur. Navigantibus discipulis obdormivit Iesus, quia Sanctis Apostolis,

stolis, ac singulis quibusque fidelibus, mente hoc praesens seculum calcantibus ac despicientibus, vel secundo flatu Sancti Spiritus, vel remigio proprio certatim spe ad littus perpetuae felicitatis tendentibus, mox appropinquat tempus Passionis Domini. Unde Beatus Marcus pulcre vespere hoc narrat factum fuisse, idest post solis occasum, ut non solum ipsa dormitio, sed etiam hora decidentis lucis occubitum veri solis, idest mortem Domini Salvatoris ostenderet. Dormiente Domino in navi motus magnus factus est in mari, quia capiente eo somnum mortis supra puppim sanctae Crucis, flantibus ventis, idest instigantibus immundis spiritibus, et suggerentibus Daemonibus, coeperunt insurgere fluctus blasphemantium Iudaeorum, et commota sunt corda eorum ad persequendos Sanctos Apostolos. His etenim procellis patientia Domini non perturbabatur, sed imbecillitas Apostolorum concutiebatur, trepidabat, et periclitabatur, adeo namque motus magnus factus est in mari ut navicu-

la operiretur fluctibus, quia adeo commota sunt Iudaeorum corda ad persequendos Apostolos, ut pene fides in illis periclitaretur; nam unus eorum ter Dominum negavit, ceteri vero relicto eo fugerunt. Sed quid fecerunt sancti Apostoli? accesserunt non corpore, sed mente et devotione, quia cuius viderant mortem, omnibus votis, et mentis affectionibus eius postulabant resurrectionem dicentes cum Psalmista: *Exurge quare obdormis Domine? exurge, et ne repellas nos usque in finem*; si enim Dominus diutius somno mortis sopiretur, mentes Apostolorum aeterna morte damnarentur. Suscitantibus discipulis surrexit Iesus, et ipse stans increpavit ventum et mare. Tunc ventum increpavit quando resurgendo superbiam Diaboli prostravit, et moriendo eum destruxit, qui mortis imperium habebat. Imperavit et ventis quia potestatem Daemonum cohibuit, et compressit. Imperavit etiam mari quia vesanam perfidiam Iudaeorum, et rabiem desruxit blasphemantium et quassantium caput ac dicentium,

tium: *Si filius Dei est descendat nunc de cruce, et credemus ei*; maius enim fuit de Sepulcro surgere, quam de Cruce descendere. Quod autem sequitur: *quid timidi estis modicae fidei?* illud significat quod resurgens a mortuis et apparens eis *exprobravit incredulitatem, et duritiam cordis illorum, quoniam iis qui viderant eum resurrexisse a mortuis non crediderunt*. Sequitur: *et facta est tranquillatas magna*. Tranquillitas magna facta est, quia resurgente Domino, et apparente post resurrectionem, ac dicente discipulis suis. *Pax vobis, ego sum nolite timere*, solidata est fides in Apostolis, et in tantum solidata est fides in eis, ut qui ante clausis ianuis propter metum Iudaeorum intus residebant, postea corroborati, libera voce coram principibus et potestatibus fiducialiter eum confitebantur. Aliter per naviculam significatur sancta Ecclesia, cuius gubernator est Dominus noster Iesus Christus, remiges autem sunt sancti Apostoli: Tunc Dominus hanc naviculam adscendit, quando per gratiam in Sancta Ecclesia habitare

bitare coepit. Et quod per naviculam Sancta Ecclesia designetur ostendit Salomon qui loquitur sub specie foeminae dicens: *facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum*, sive pretium. Institor, hoc est negotiator, est dominus noster Iesus Christus; Sancta etenim Ecclesia facta est velut navis institoris, scilicet Domini Salvatoris. Per panem designatur Sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi; Sancta namque Ecclesia de longe portat panem suum, quia etiam ab ultimis finibus veniens Sacramentum corporis et Sanguinis Domini portat, idest celebrat. Hoc est tam magnum pretium, quo redemptum est genus humanum; et idem Salomon ait *vestigium navis in mari non invenitur*, quia conversatio Sanctae Ecclesiae non est terrena, sed coelestis; et unus idcirco remes eius dicebat: *nostra autem conversatio in Coelis est.* Et quamvis Sanctae Ecclesiae terrena officia exercere videatur, verumtamen eius intentio spiritalis est et coelestis. Navigantibus discipulis obdormivit Christus, quia fideli-

fidelibus spe tendentibus ad Coelestem patriam frequenter solet evenire, ut dormiat Iesus in hac navicula, idest ut solatium miserationis a Sancta Ecclesia abstrahat. Tunc Dominus in navicula hac dormivit, quia vel Principes huius seculi, vel haeresiarchas, vel aliquos pravos homines permittit suam Sanctam persequi Ecclesiam, ut is qui probati sunt manifesti fiant in nobis, unde ipse Dominus dicit: *necesse est ut veniant scandala*; et Paulus Apostolus ait: *oportet enim fieri haereses, ut hi qui probati sunt manifesti fiant*. Multotiens autem principes huius seculi comminati sunt et devastare Sanctam Ecclesiam, et perdere filios eius; nam dormiente Domino in navi, motus magnus, factus est in mari, quia abstrahente eo auxilium suae miserationis a suis fidelibus, adeo permisit malos persequi Sanctam Ecclesiam, ut poene annihilari videretur. Sed quid fecerunt fideles? accesserunt mente et devotione, et eius auxilium imploraverunt dicentes cum Psalmista: *a finibus terrae ad te cla-*

clamavi dum anxiaretur cor meum; et item : *Exurge Domine adiuva nos, et libera nos propter nomen tuum*. Nam clamor Apostolorum devotio est fidelium populorum. Suscitantibus Discipulis surrexit Iesus, quia suis fidelibus solatium divinae miserationis impendit, unde ait : *Et surgens imperavit ventis et mari*. Venit, imperavit quia audaces adversarios Sanctae Ecclesiae evanescere facit, et vota pravorum hominum ut effectum obtinere non possent perturbavit. Imperavit mari, quia per sillogismos suorum praedicatorum versutiam haereticorum denudavit, ne reciperentur a fidelibus. *Et facta est tranquillitas magna*; a Deo namque tranquillitas magna facta est ut homines admirarentur quomodo Sancta Ecclesia de tanta persecutione et tribulatione, continuo ad tam optatam pristinam rediret pacem. Moraliter per naviculam designatur unaquaeque anima fidelis, de quo testis est Salomon qui dicit : *anima iusti sedes est sapientiae*. Si ergo anima Iusti sedes est sapientiae, sedes est Christi, ac per hoc navicu-

la

la est Domini. Hanc naviculam tunc Dominus conscendit, quando per gratiam in ea habitare incipit. Navigante quolibet fideli, idest spe tendente ad patriam coelestem, frequenter solet evenire ut dormiat Iesus in hac navicula. Tunc enim dormit Iesus, quando permittit insurgere adversus animam fidelem vel immundorum spirituum tentationes, vel impetus malarum cogitationum, vel propriae carnis delectationes, vel pravorum hominum persequutiones; his namque procellis solent concuti illae virtutes, in quibus maxime salus humani generis consistit, idest fides, spes, charitas; sed has procellas adeo permisit Dominus insurgere adversus naviculam, ut poene operiretur fluctibus, quia adeo permittit animam fidelem tentari, ut poene videatur mergi, scilicet ut splendor fidei obtenebrescat, spei celsitudo contabescat, et flamma charitatis refrigescat. Sed quid illi agendum est? numquid desperandum? non, sed iuxta exempla Apostolorum est accedendum, et totis viribus proclamandum

dum ad Deum . Nobis vero proclamantibus , ille qui non dormitat , neque dormitabit custodiens Israel , quasi exercitus surget , tempestatem sedabit , tranquillitatem reddet , et portum salutis indulgebit , gratiam donante illo qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum .

HOMI-

HOMILIA X.

REMIGII AVTISSIODORENSIS

IN ILLUD MATTHAEI

Respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine Coeli & Terrae, quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.

HUius confessionis etiam Beatus Lucas facit mentionem dicens: *in ipsa hora exultavit in Spiritu Sancto et dixit: Confiteor tibi Pater.* Sed non debet videri contrarium, quia Beatus Matthaeus ait *in illo tempore*, id quod ideo praemisit, ut daret locum Lucae Evangelistae quatenus ea insereret quae gesta sunt inter exprobrationem civitatum, et istam confessionem; quae adeo pauca sunt, ut si Beatus Matthaeus dixisset in ipsa hora, nulla videretur contrarietas. Ex occasione ergo infidelitatis civitatum quae noluerunt Sermonem Domini recipere, neque in eum credere, respondens Dominus cau-

sam rettulit, laudem scilicet et gratiam Deo Patri pro iis quibus arcanum suae Incarnationis revelaverat. Solerter etiam indagandus est ordo verborum, quia non ait tantum : *Confiteor tibi, pater*, sed addidit : *Domine Coeli & Terrae*; his namque verbis Dominus Iesus illum ostendit esse suum patrem, qui est Dominus Coeli et Terrae. In hoc loco destruuntur haeretici qui dixerunt Dominum Iesum creaturam esse, et non creatorem; si enim creatura esset, et creatura etiam Dominum suum patrem appellare posset, non specialiter diceret : *Confiteor tibi Pater, Domine Coeli & Terrae*; sed tamen diceret : confiteor tibi pater coeli et terrae, aut confiteor tibi domine coeli et terrae; sciendum est enim quia confessio non significat semper poenitentiam et accusationem peccatorum, sed laudem et gratiarum actionem, unde est illud : *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*; et item *Confitemini Domino quoniam bonus*; et in libro Ecclesiastici Scriptum est : *Haec dicetis Domino Deo vestro in confessione, quoniam universa opera eius*

bona

bona valde. Ubi notandum est quia confessio non significat poenitentiam, aut confessionem peccatorum, sed laudem, sicut et in hoc loco. Hoc similiter aperte ostendit et Beatus Lucas Evangelista cum dicit: *In ipsa hora* exultavit Iesus in Spiritu Sancto. Si enim verba Domini diligenter investigemus, cognoscemus profecto quod Filius Dei confitetur Deo Patri, et ei gratiam, et laudem refert, quasi jam passus et glorificatus sit non pro se, sed pro nobis. In qua confessione etiam suae miserationis munus, et gratia nostrae reconciliationis ostenditur. Quare autem Dei Filius confiteatur Deo Patri, et ei laudem referat, manifestat cum subiungit: *quia abscondisti haec a sapientibus*. Quae veto sunt quae abscondit? Illa scilicet de quibus dicit Apostolus: *Revelatum est mihi Sacramentum, quod aliis generationibus non fuit manifestum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est Sanctis Apostolis et Prophetis, in Spiritu esse gentes cohaeredes et comparticipes promissionis in Christo.* Hoc est mysterium Incarnationis, idest

quia

quia ille qui ante omnia secula ineffabiliter genitus est a Deo Patre; et in fine seculorum carnem assumpsit ex Virgine Matre, hoc profecto abscondit. Quibus vero absconderit manifestat cum subiungit: *Sapientibus & prudentibus*. Sed non vere sapientibus; sapientibus vero suae stultitiae praesumptione, et non verae sapientiae acumine; sapientibus temeritate, et non veritate; sapientibus fastu et non sensu, de quibus ait Propheta: *Vae vobis qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes*. Et item: *Perdam sapientiam, & prudentiam prudentium reprobabo*. Quorum testimoniorum sensum Beatus Paulus Apostolus exponens ait: *Ubi sapiens, ubi scriba, ubi legis verba ponderans? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Et quia Mundus non potuit cognoscere Deum per sapientiam, placuit ei per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. De hac mundiali sapientia idem Apostolus alibi dicit: *Sapientia huius mundi inimica est Deo, et legi Dei non subiicitur*, neque enim potest.

Sed

Sed qui nam fuerunt isti sapientes? Certe vel illius temporis legis Doctores, scribae scilicet et Pharisaei, qui cum essent stulti, sapientes se esse iactabant; vel modo haeretici sive Philosophi, qui propter suam tumidam sapientiam, humilem Domini doctrinam et praedicationem recipere non valent. Sed quibus revelavit? manifestat statim dicens: *parvulis*, idest humilibus corde. Illos Dominus appellat parvulos, qui se parvulos et humiles recognoscunt; arcana namque, et virtutes coelestium mysteriorum parvulis, idest Sanctis Apostolis revelavit, qui vere parvuli erant non sensu, sed malitia, de quibus Psalmista dicit: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*. Et etiam: *Testimonium Domini fidele Sapientiam praestans parvulis*. Et iterum: *declaratio sermonum tuorum illuminat me, et intellectum dat parvulis*. Causas et aequitates huius facti paternae voluntatis iudicio Dominus confirmavit, ut illi qui dedignantur parvuli fieri, in Deum stulti fiant in sua sapientia. Et ut ostenderet

Do-

Dominus quia non acumen ingenii, et sapientiae sensum condemnavit, sed tumorem superbiae, ideo pulcre subiunxit dicens: *Ita, Pater, sic enim placitum fuit ante te*. Blandientis affectu alloquitur Filius Patrem ut coeptum beneficium et gratia confirmetur, et compleatur in parvulis, idest in Sanctis Apostolis. Et pulcre air: *Sic placitum fuit ante te*, ac si patenter diceret aliis verbis: Tibi justo iniusta placere non possunt, et ideo sic beneplacitum fuit ante te, et iuste omnia disposuisti, quod haec sapientibus et prudentibus abscondisti et parvulis revelasti. His ergo verbis redarguuntur illi qui quaerelas solent obicere et murmurare quare alii eligantur, alii eiciantur, et alii salventur, alii pereant, cum ipse Dei filius paternam voluntatem, et iustam eius dispositionem laudibus efferat. Hanc enim Sententiam divinae dispositionis occulto Dei judicio, sed tamen iusto, factum considerans Beatus Paulus Apostolus, non valens comprehendere prorupit in admirationem dicens: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei*,

quam

quam inscrutabilia sunt judicia eius, & investigabiles viae eius. Sequitur: *omnia mihi tradita sunt a patre meo*. Haec enim verba Divinitatis non carnaliter, sed spiritualiter accipienda sunt; nam et Patrem tradentem, et Filium accipientem spiritualiter accipere debemus. Si enim secundum humanam consuetudinem essent intelligenda, mox ut ille incipit possidere qui accipit, desinit ille habere qui tradidit. Sed Deus Pater non sic omnia tradidit Filio suo, ut desierit habere quae tradidit, quia omnia sine tempore simul cum Filio possidet. Dei ergo Filius, quantnm ad Divinitatem attinet, nihil ex tempore accepit a Patre, quia sicut Evangelista dicit, omnia quae habet Pater eius etiam sunt, quia *Filius & Pater unum sunt*. In hoc vero quod homo factus est, omnia ex tempore accepit a Patre, unde Pater dicit ei: *Pete a me & dabo tibi gentes haereditatem tuam*. Et item Filius in Evangelio: *Data est mihi omnis potestas in Coelo & in Terra*. Ergo quod dicit: *Tradita mihi sunt omnia a Patre*

tre meo non debemus intelligere ei fuisse tradita Coelum et terram, mare et cetera elementa, quae simul cum Patre condidit, et creavit, sed traditi ei sunt Sancti et electi viri, et parvuli ex omnibus gentibus, pro quibus ipse supplicans Deo Patri gratias egit. *Et nemo novit filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius?* Haec enim verba sic videntur sonare ut nullus possit agnoscere Patrem nisi Filius, et rursus nullus possit agnoscere Filium nisi Pater. Quod non est ita sentiendum, sed sic est accipiendum quia Pater et Filius per ipsum revelatur. Et est sensus: nemo novit quod sit in Filio nisi Pater, et nemo novit quod sit in Patre nisi Filius, et cui ipse voluerit revelare; quia aliud est nosse quod novit aequalitate naturae, et aliud est nosse quod novit revelantis dignatione; ipse est enim lumen mentium nostrarum. Deus ergo Potens revelat se Verbo, idest Filio suo; Verbum autem idest Filius et se, et Patrem revelat, et dum se revelat et Pater eum revelat, quia ipse et Pater unum sunt.

Ergo

Ergo quod sequitur *& cui voluerit Filius revelare* ad utrumque referendum est, scilicet ad Patrem et Filium. Et quod Pater eum revelet manifestat Apostolus cum dicit: *Cum autem complacuit ei qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam ut revelaret filium suum in me, ut annuntiem eum in gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini.* Sequitur autem: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* His verbis Dominus genus humanum alloquitur, et eos ad se vocat qui in difficultatibus legis laborant, vel idolatriae, seu seculi peccatis onerati erant, sed maxime illos qui vocem Domini audire et sequi meruerunt. Ait enim: venite, non pedibus sed moribus, non corpore sed fide, iste est namque spiritualis accessus, quo quisque valet apparere Deo, de quo Psalmista ait: *Accedite ad eum & illuminamini.* Ad me, idest non ad hominem, non ad extraneum, non ad deceptorem, sed ad Salvatorem. Pulcre quidem subiunxit *omnes*, quia sicut Apostolus dicit:

Ipse omnes vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire. Et ideo nulla est apud eum distantia inter gentem et gentem, sexum et sexum, linguam et linguam, aetatem et conditionem. *Qui laboratis* secularibus negotiis, seu laboratis gravia legis pondera ferentes, *& onerati estis* diversis sceleribus atque peccatis. A deceptione namque primi hominis humanum genus sub conditione Diaboli laborabat, exceptis illis qui sola Dei gratia liberari meruerunt, unde Psalmista aiebat: *Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, & sicut onus grave gravatae sunt super me*. Et pulcre Dominus subiunxit: *Ego vos reficiam*, quia ipse est Panis Angelorum, et summa refectio atque satietas Beatorum Spirituum, unde Propheta mente conspiciens dicebat: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Refectionis deinde modum ostendit cum dicit: *Tollite jugum meum super vos*, ac si diceret: deponite jugum Legis et sumite meum, idest non interemptoris sed Redemptoris. Multum quippe distat inter jugum Diaboli

li et Christi, et inter jugum legis et Evangelii. Iugum Diaboli peccatores deprimit, illud Christi vero erigit. Iugum Legis severitatis pondere peccatores aggravat, jugum Evangelicae gratiae spem veniae promittendo sublevat. Et quod hoc jugum Christi genus humanum susceperum esset, longe ante praedixit Sophonias Propheta cum ait: *Et vocent omnes in nomine Domini, et servient ei humero uno ultra flumen Ethiopiae; inde supplices mei venient filii dispersorum meorum deferentes murum mihi*. Servient ei humero uno, idest una fidei devotione, quasi sub uno jugo. *Et discite a me*. Quid sit discendum manifestat cum subiungit: *quia mitis sum & humilis corde*, ac si diceret: vos aliquando eratis immites et superbi, a me ergo et in me discite humilitatem et mansuetudinem, *et invenietis requiem animabus vestris*, quasi diceret: iam fatigati estis quia requiem quaesivistis et invenire non potuistis, quia non invenitur vita in provincia mortis, neque gaudium in patria moeroris, neque requies in re-

gio-

gione laboris. Ad me ergo venite quia ego sum totum quod quaeritis. Et ne forte homines audientes jugum expavescerent, idcirco subiunxit: *Iugum enim meum suave est, & onus meum leve*, scilicet ne paveatis cum jugum audistis, quoniam suave et leve est. Sed quaerendum est quare Dominus dicat jugum suum suave et onus leve cum Psalmista dicat: *Ego custodivi vias duras*; et ipse in Evangelio: *quam angusta porta est, et arcta via*. Haec tamen non debent videri inter se contraria, Iugum enim suum volentibus leve est, sed grave nolentibus: grave est incohantibus, sed leve est proficientibus, et usque ad perfectionis calcem pervenientibus. Durum et asperum est quia a multis quaeritur, sed a paucis invenitur. Sive jugum suum leve dicit ut ostenderet jugum Legis grave; jugum enim legis grave erat, quia suae severitatis pondere mortificabat; jugum vero Christi leve est quia peccatores spe veniae et Coelestium promissionum vivificat. Et quod jugum legis grave sit, manifestat Petrus

trus Apostolus cum ait : *Ut quid denuo vultis imponere jugum legis* ? Quid suavius vero jugo Christi? aut quid levius onere Gratiae Evangelicae ? Et vere leve est sceleribus non acquiescere, probabilem fieri inimicis propter Dominum, amicos in Domino diligere, omnes amare, neminem odisse, bonum velle, malum nolle, et quod sibi non vult fieri, aliis non inferre.

HOMI-

HOMILIA X.

REMIGII AVTISSIODORENSIS

IN ILLUD MATTHAEI

Adscendens Iesus Hierosolymam assumpsit duodecim Discipulos suos secreto, & ait illis: Ecce adscendimus Hierosolymam, & consumabuntur omnia quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis &c.

PRaevidens Dominus animos Discipulorom ex sua passione perturbandos, idcirco et eiusdem Passionis poenam, et suae Resurrectionis gloriam praedixit, ut cum cernerent eum morientem, sicut praedixit, non dubitarent eum resurrecturum sicut promisit. Armavit quippe eos cum praedixit eis mala quae erat passurus, quoniam levius feruntur mala praescita, quam ea quae subito accidunt. Destruitur his verbis error infidelium, et dementia illorum qui solent Dominum deridere, et dicere quod ipse coactus ductus fuerit ad passionem; nam sicut

hic

hic manifestatur, ipse et tempus passionis praescivit, et locum eiusdem passionis intrepidus adiit. Monentur etiam Sancti Praedicatores in hoc facto ut suis auditoribus antiqui hostis insidias, et mala quaeque evenire possunt praenuntient, quatenus fortiter adversus antiqui hostis insidias superare, et adversa quae illis accidunt levius ferre possint. Sequitur: *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis adorans et petens aliquid ab eo*. Quod dicit *Tunc* ad superiora respicit, idest quando suae Passionis poenam et Resurrectionis gloriam discipulis praedixit. Sed quaerendum est unde sumpsit ista mater Filiorum Zebedaei occasionem accedendi ad Dominum, et postulandi aliquid ab eo. Dominus enim discipulis tristitiam praenuntiavit, idest praedixit ignominiam Passionis; unde ergo sumpsit occasionem accedendi ad Dominum, ut postularet ab eo gloriam regnandi? Recordabatur illa quia Dominus superius promisit discipulis suis dicens: *Vos qui sequiti estis me in regeneratione*,

ne, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. Et quia Dominus post omnia dixerat: *& tertia die resurget*, putavit eum statim post Resurrectionem venturum esse ad regnandum, et quod in primo adventu complendum esset, quod complendum erat in secundo. Idcirco foeminea aviditate immemor futurorum tantum praesentia desideravit. *Qui dixit ei quid vis?* Dominus enim non quasi nescius interrogavit ut audiret quid ipsa vellet, sed ut illa exponente, ipse irrationabilem et reprachensibilem esse ostenderet petitionem illius et filiorum eius; petebant enim quas Religiosi et amatores Coelestis Patriae, sed non quasi sententiam habentes utilium et invoxiarum petitionum. Saepe namque permisit Dominus discipulos suos non recte cogitare aliquid, aut dicere, vel etiam facere, ut ex eorum culpa sumeret occasionem docendi et exponendi regulam pietatis; sciebat enim quia ipse eorum error nihil eis nocebat praesente magistro, et eius do-

doctrina omnes aedificaret non solum in praesenti, sed etiam in futuro. At illa dixit: *ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram tuam in Regno tuo*. Postulavit haec mater muliebri errore, et pietatis affectu nesciens quid diceret. Et quid mirum si ista redarguatur imperitiae et ignorantiae, cum superius dictum sit de Petro, quando is voluit facere tria tabernacula nesciens quid diceret? Sed quaerendum est quare dicat Beatus Matthaeus istam mulierem accessisse ad Dominum, cum Marcus dicat Filios eius accessisse: sed sciendum est quia Mater ad Dominum suggerentibus filiis accessit; sciebant enim matrem suam dilectam esse a Domino, et idcirco affectum et voluntatem propriam per eam Domino manifestare voluerunt. Et propterea Beatus Marcus ut eorum desiderium et consilium legentibus notum faceret, tacuit de interveniente matre, et illos solos narrat accessisse, quibus suggerentibus mater accessit. Unde et Dominus secundum utrumque Evangeli-

stam non matri, sed filiis respondit dicens: *Nescitis quid petatis*; nesciebant enim quid peterent, quia sedem gloriae quam non merebantur petebant; vel nesciebant etiam quid peterent, quia putabant quod aliquis sedere posset in illo regno ad sinistram, cum in die ultimi examinis omnes fideles statuendi sint ad dexteram summi Regis et Iudicis, cum illius regnum nihil habeat sinistrum, et illa felicitas nihil habeat reprobum. Isti enim quamvis non deberent accipere quod quaerebant, verumtamen eorum simplicitas non merebatur confundi, quia ex amore Domini nata erat. Et quia simpliciter postulaverunt, idcirco Dominus eorum affectum aut simplicitatem non repraehendit, sed ignorantiam et imperitiam culpavit dicens: *Nescitis quid petatis*, ac si aliis verbis diceret: bonum quidem est vestrum desiderium, sed inconsiderata petitio; rem honestam postulatis, quia mihi vultis coniungi in regno; delectat vos culmen honoris, sed tamen necesse est ut prius vos exerceat via laboris.

Se-

Sequitur : *potestis bibere Calicem quem ego bibiturus sum ?* Calicem appellat amarissimam passionem ; nomine namque calicis vult intelligi passionem martyrii per quam necesse erat ut ipse et illi consummarentur. Hinc, est quod Dominus appropinquans passioni dicebat : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Et Psalmista: *Calicem salutaris accipiam.* Sed quaerendum est quare Dominus istos interrogavit : *potestis bibere Calicem quem ego bibiturus sum?* An ignorabat ipse si eum possent imitari per passionem ? Non, sed ideo intertogare voluit ut illo interrogante, et ipsis respondentibus *possumus*, nos quidem audiremus et intelligeremus, quia nullus valet cum Christo regnare in Coelis, nisi studeat eum imitari per passionem ; nullus etenim sublimiter valet regnare cum Christo, nisi prius humiliter studuerit pati pro ipso. Unde Apostolus dicit : *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis eius erimus.* Et item. *Si compatimur & conregnabimus; et si socii fuerimus passionis, erimus*

et consolationis. Attamen isti responderunt *possumus* non tantum ex confidentia cordis, et fiducia suae fortitudinis, quantum potius ex ignorantia, nescentibus quidem illud: desiderabile est bellum scientibus, valde vero formidabile. Similiter et inexpertis levis videtur tentatio passionis et mortis. Si enim Dominus appropinquans passioni orabat: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*; multo minus isti respondissent *possumus*, si scirent qualis esset in praesenti dolor passionis, et timor mortis; habet enim passio magnum dolorem, et mors magnum timorem. Sequitur: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*. Pulcre autem dicit *meum*, idest sive me imitando, sive pro confessione nominis mei. Sed quaerendum est quare dicat Dominus calicem meum bibetis, cum unus quidem eorum, idest Iacobus per effusionem sanguinis vitam finierit, alter vero, idest Ioannes, in pace Ecclesiae quieverit. De passione namque Iacobi Lucas apertissime in Actibus

bus Apostolorum manifestat cum dicit : *Misit Herodes Rex manus ut affligeret quosdam de Ecclesia ; occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio* . Ioannes vero, sicut in Patrum litteris legitur, et sicut fideles historiae referunt cum jam longo confectus senio sciret sibi imminere diem mortis, convocatis fidelibus post Missarum celebrationem , et monita exhortationis , ultimum eis valefecit , ac deinde descendens in defossum sepulturae suae locum, facta oratione adpositus est ad patres suos, et sic a dolore mortis extraneus fuit , sicut alienus fuerat a corruptione carnis. Quomodo ergo Ioannes calicem Domini bibit, qui absque dolore mortis migravit de mundo? Sed sciendum quia duobus modis calix Domini bibitur. Uno modo cum mors illata a persequutore patienter suscipitur; altero vero cum animus paratus est ad perferendam mortem, et vita digna geritur martyrio. Ioannes ergo calicem Domini bibit, quia paratus fuit ad perferendam mortem, et vita eius digna erat martyrio.

rio. Nam duo sunt genera martyrii, unum in aperta persequutione, alterum vero in occulta carnis maceratione. Ioannes ergo calicem Domini bibit, et si non bibit in aperta persequutione, bibit in occulta carnis maceratione. Verumtamen bibit Ioannes calicem Domini etiam per Passionem; nam, sicut in Actibus Apostolorum legitur, cum ceteris Apostolis carcerem et verbera sustinuit: *Ibant enim gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*. Et ob insuperabilem praedicationem Evangelii a Domitiano impiissimo Principe missus est in ferventissimo olei dolio, de quo ita illaesus exivit a dolore passionis, quemadmodum extraneus fuerat a corruptione carnis, et religatus est exilio in Pathmos insula. Ioannes ergo cum fratre suo calicem Domini bibit, quia qui talia ac tanta sustinuit, aperte demonstratur quia paratus erat ad perferendam mortem etiam, si ei a persequutore inferretur. Sed quaerendum est quomodo verax magister dicat: *Sedere au-*

autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, cum ipse alibi dicat: *omnia mihi tradita sunt a Patre meo*; et item *Omnia quaecumque facit Pater, haec eadem & filius facit*. Si enim Filius similiter facit omnia quae et Pater, quid est ergo quod dicit: Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis? Tribus namque modis intelligi potest. Non est meum dare dicit, quia regnum Coelorum non est dantis, sed accipientis; apud Dominum namque non est personarum acceptio, et ideo Regnum Coelorum non tribuitur juxta personarum acceptionem, sed juxta qualitatem meritorum, non enim praeparatum est illud regnum personae sed vitae. Qui ergo talem se exhibuerit ut dignus sit percipere, continuo accipiet; et vos itaque si tales extiteritis ut digni sitis consequi, continuo percipietis regnum quod Pater meus non paravit torpentibus, sed victoribus et triumphantibus. Aliter non est meum dare vobis, idest superbis talibus, quales vos estis

qui

qui exaltari cupitis, sed humilibus corde, quibus paratum est a Patre meo. Ergo si vultis illud accipere nolite esse quod estis, aliis enim praeparatum est; et vos ideo alii estote, et vobis etiam praeparatum est. Quid est alii? Idest prius humiliamini qui exaltari cupitis. Aliter, sicut dicit Beda: sinistra Domini quando in bona parte ponitur, hanc praesentem vitam Sanctae Ecclesiae designat, dextera namque ipsius Beatitudinem superni regni significat. Unde dicit Salomon: *Longitudo dierum in dextera eius, gloria et divitiae in sinistra ipsius.* Quippe vero in dextera ipsius longitudo constat dierum? quia in illa vita beata indefectiva lux sanctis tribuitur; in sinistra vero gloria et divitiae, quoniam in huius vitae peregrinatione gloria fidei, et divitiis virtutum reficimur. Accipit quis sedere ad dexteram cum in Coelestis beatitudinis regno de praesenti sui Conditoris visione laetatur; percipit et sedere ad sinistram cum in huius peregrinatione vitae aliis praesidere suscipit regimi-

ne Sacerdotii. Constat ergo notissimum esse quia hi duo filii Zebedaei non unus ad dexteram, et alter ad sinistram Domini sedere perceperunt, sed ambo ad tempus ad sinistram, quoniam Apostolatus officio aliis praesiderunt; nunc vero ambo ad dexteram sedent, quia de praesenti sui Conditoris visione laetantur. Quod vero Christus dicat: *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis*, sciendum est quia Dominus in Evangelio aliquando ex substantia humanitatis, aliquando ex illa Divinitatis loquitur. Et quia haec mater filiorum Zebedaei honorem ad substantiam humanitatis retulit, et gloriam regnandi in corporali eius praesentia collocaverat, idcirco Dominus secundum eamdem substantiam eis respondit ac si diceret: secundum hanc substantiam, qua vobiscum bibiturus sum calicem, non est meum dare vobis: verumtamen meum est id tribuere secundum substantiam Divinitatis, quia per omnia aequalis sum Deo Patri. Sequitur: *Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus*. Indignati ergo sunt alii decem

Apostoli non matri filiorum Zebedaei, sed duobus fratribus, et audaciam petitionis non ad Matrem, sed ad Filios retulerunt, quibus suggerentibus accessit mater, quia ignorantes propriam mensuram immoderata cupiditate exarserunt. Et hoc sciendum quod sicut illi duo carnaliter petierunt ut supra omnes essent, ita et isti decem carnaliter indignati sunt; si enim spiritualiter sapuissent, nullo modo petiissent ut supra omnes essent, et si isti spiritualiter intellexissent, nullo modo indignati essent super desiderio duorum. Nam sicut vituperabile est velle esse super omnes; ita et valde gloriosum est alios patienter supra se sustinere. Sed ille pius et mitis Magister nec istos duos immoderatae cupiditatis redarguit, nec illos decem indignationis et livoris reprehendit, sed omnes ad viam humilitatis revocavit, et ostendit eis exemplum quo doceret illum esse minorem qui est maior omnium, et illum esse Dominum qui est servus cunctorum, ait enim: *Nescitis quia Principes gentium dominantur earum?* Ac si diceret: qui enim Principes

cipes sunt in gentibus imperant subiectis, et qui maiores sunt potestatem exercent in minores; sed inter vos non erit ita, quia qui voluerit esse maior, erit vester minister, et qui voluerit esse primus erit vester servus. Ostendit enim Dominus his verbis quia humilitate pervenitur ad regnum, simplicitate vero penetratur Coelum; quisquis enim vestigia Divinitatis tenere desiderat, necesse est ut exemplum humanitatis sequatur. Quicúmque fratrem vult praevenire in regnando, necesse est ut praeveniat eum in obsequendo; et sicut ipsi terrenam similitudinem fortasse contemnerent, se ipsum proposuit eis exemplum, ut si dicta ipsius parvi penderent, confunderentur ad opera. Dicit ergo: *Sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare, et dare animam suam pro multis:* Pro multis quidem dicit, pro illis scilicet qui in eum credere voluerunt; et cum dicit *animam* dextruitur error illorum qui dixerunt Dominum non veram animam sumpsisse.

HOMILIA XII.

REMIGII AVTISSIODORENSIS

IN ILLUD MATTHAEI

Accesserunt ad Iesum Scribae et Pharisaei dicentes: quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum, non enim lavant manus suas cum panem manducant?

MIRA quidem scribarum et Pharisaeorum stultitia, qui Dominum quidem reprehendebant cur praecepta et traditiones hominum non servaret! *Quare*, inquiunt, *Discipuli tui transgrediuntur praecepta seniorum*? His namque verbis aperte demonstratur intentio Scribarum et Pharisaeorum quare venerint, videlicet non ad discendum, sed ad reprehendendum. Reprehendebant discipulos Domini non de ista lavatione, quae consueto more agitur, sed de illa superflua, quae superstitiosa traditione seniorum fuerat recepta. Quae autem ea fuerit manifestat Marcus cum ait: Pharisaei enim et omnes Iudaei nisi crebro lavent manus suas non man-

manducant panem, servantes traditionem seniorum, et a foro redeuntes, nisi baptizentur non comedunt, et multa alia sunt quae tradita sunt illis servare baptismata calicum et urceorum, et aeramentorum, et lectorum. Lavandae ergo sunt manus non tam corporis quam totius cordis, idest purganda sunt opera, ut in illis impleatur verbum Dei. Dominus namque Scribarum et Pharisaeorum calumniam vera responsione confutavit, et reprehendit dicens: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Et est sensus: quare cum vos praecepta Dei negligatis ut traditiones et praecepta hominum servetis, iudicatis discipulos meos esse redarguendos qui traditiones et praecepta hominum contemnunt, ut iussa Dei custodiant? In quo facto monstratur illud iam esse completum quod Isaias prophetaverat dicens: *Redarguit iniquitatem pro mansuetis terrae*. Et quasi ipsis interrogantibus, ubi trasgredimur praecepta Dei? respondit: *Nam Deus dixit: honora Patrem tuum & matrem, & qui maledixerit Patri vel matri mor-*

te moriatur: Vos autem dicitis quicumque dixerit Patri vel matri munus quodcumque est ex me tibi proderit. Honor in Sacris Scripturis non semper significat subiectionem, aut capitis humiliationem in salutationibus, vel in quibusdam officiis deferendis, sed significat largitatem heleemosinarum et oblationem munerum, et quod ita sit, manifestat Apostolus cum ait: *honora viduas, quae vere viduae sunt.* Hic enim honor donum significat, idest tribue viduis necessaria. Alibi vero praesbyteros duplici honore admonet esse habendos; maxime tamen illos, qui in verbo et doctrina laborant, admonet esse remunerandos. Hinc praeceptum est in lege ut os bovi trituranti non claudatur; hinc et Dominus in Evangelio ait: *dignus est enim operarius mercede sua.* Providens namque Dominus imbecillitati parentum, et aetati eorum, et penuriae, praecepit in lege ut filii honorarent parentes suos, idest eorum penurias sustentarent. Hinc providentissimam Dei legem Scribae et Pharisaei volentes subvertere et violare, docebant filios ut ea quae ministranda e-

rant

rant parentibus consecrarent et voverent Deo, et dicerent: *munus quodcumque est ex me tibi proderit*, ac si diceret: O pater et mater ea quae vobis subministrare debui, Deo consecravi, et ideo munus, quod ex me est, non solum mihi proderit, sed etiam tibi: ut dum haec Parentes audirent magis eligerent famis inopiam pati et penuria affici, quam ea exigerent quae Deo consecrata audirent. Porest et aliter sic intelligi: munus quodcumque est ex me tibi proderit, idest quidquid habere possum, o Pater, et Mater, in tuos usos consumo et cibos, et ob hoc non habeo quid Deo obferam; ut dum Parentes haec audirent, similiter magis inopiam pati, et penuria affici optarent, quam ea subtraherent quae filii Deo obferre volebant. Agebant enim scribae et Pharisaei callide, ut ea quae tribuenda erant parentibus converterent in usus Sacerdotum, quatenus sub hac occasione terrena lucra sibi cumularent; et haec facientes sensum legis violabant: unde merito reprehenduntur a Domino dicente: *Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Hypocritae bene

bene prophetavit de vobis Isaias dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. Hypocrita dicitur simulator, qui aliud opere simulat, et aliud corde gestat. Isti ergo bene hypocritae dicuntur, quia sub honore Dei terrena lucra sibi accumulare cupiebant. Iudaeorum namque populus labiis et ore appropinquare et eum honorare videbatur, quia unius Dei cultum se habere gloriabatur; sed corde longe ab eo recessit, quia visis signis atque miraculis, nec divinitatem eius cognoscere, nec eum suscipere voluerunt. Potest etiam intelligi hoc dictum non solum de Iudaico populo, sed et de nonnullis in Ecclesia; appropinquamus enim Domino non corpore sed mente. Sunt enim plurimi in Ecclesia, qui frontes suas signo crucis muniunt, sed tamen longe ab eo recedunt, quia pravis operibus ei contradicunt. Sine causa enim colunt me docentes doctrinam meam. Sine causa, idest sine fructu salutis, et sine ulla utilitate, et absque ulla mercede. Sequitur: *et convocatis ad se turbis dixit*. Turbas convocatas appellat turbas discipulorum, et credentium:

Non

Non quod intrat in os coinquinat hominem. Iudaei enim summam et maximam religionem putabant esse in observatione ciborum, sed omnis eorum superstitiosa observatio his verbis destruitur, quibus Dominus ait: *non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quae de ore procedunt*. Ostendit enim Dominus his verbis quia per illa genera animalium, quae prohibita sunt in lege comedi, non creatura Dei condemnatur, neque immunda esse decernitur, sed vitia hominum reprehenduntur. Praeceptum namque fuit in lege ut illa animalia non comederentur quae neque ruminant, neque ungulam dividunt, et illa quae ruminant et non dividunt ungulam, et illa quae dividunt ungulam, sed non ruminant. Per illa enim animalia quae nec ruminant, neque ungulas dividunt possunt intelligi infideles, qui bona a malis nesciunt separare, et praecepta Dei meditando, et memoriae commendando non ruminant. Per illa vero quae ruminant et non dividunt ungulam possunt intelligi Iudaei, qui praecepta Dei meditando et memoriae commendando rumina-

re videntur, sed tamen ungulam non dividunt, quia bona a malis non separant. Per illa vero quae ungulam dividunt, et non ruminant possunt intelligi mali Catholici, qui bona a malis separare sciunt, sed tamen praecepta Dei meditando, et memoriae commendando non ruminant. Per corvum quoque illi possunt intelligi qui humanum sanguinem fundere gaudent; per cignos designantur elati; per accipitres et milvos illi qui aliena rapiunt; per pisces qui nec squammas, nec pinnulas habent, ac maxime in luto commorantur, immundi et impuri homines designantur, qui volutantur in coeno peccatorum. Sive per huiusmodi pisces possunt intelligi mali Catholici qui non habent squaminas bonorum operum, neque pennas virtutum, et ideo saltus super aquas dare non possunt, idest coelestia penetrare non valent. Sed forte quaeret aliquis cum Dominus dicat: *non quod intrat in os coinquinat hominem*, quare non sit licitum vesci de Idolothitis, aut quare dicat Apostolus: *non potestis bibere calicem Domini et Calicem Daemoniorum*. Sed sciendum est quia omnis crea-

creatura Dei per se bona et munda est, sed invocatio daemoniorum facit ea immunda, et ideo non est licitum comedere Idolothita. Quicumque enim tantae fidei est ut intelligat creaturam Dei nullo modo coinquinari posse, sanctificetur per verbum Dei et orationem, et comedat quaecumque vult. Hinc est quod Apostolus praecepit esse comedendum quidquid in macello venumdatur, nihilque interrogandum, quia si aliquis dixerit hoc idolothitum est, praecepit non esse comedendum propter conscientiam alterius, illius videlicet qui scandalizatur. *Tunc accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: scis quia pharisaei audito hoc verbo scandalizati sunt?* Pharisaei namque audito verbo quod Dominus ait *non quod intrat in os coinquinat hominem* scandalizati sunt, quia summam et maximam religionem putabant esse in observantia ciborum. Sed ista vos, idest scandalum, quamvis usitatissima sit, tamen videndum est quid significet. Scandalum est offendiculum, sive ruina, sive impactio pedum; quod ergo Dominus ait: *qui scandalizaverit unum de*

pu-

pusillis istis, sic est intelligendum; qui suo dicto vel facto occasionem ruinae alicui ex minimis istis dederit. *Et ait illis: omnis plantatio quam non plantavit Pater meus eradicabitur*. Et est sensus: omnis falsa doctrina, et superstitiosa observatio cum suis auctoribus permanere non potest; et quia a Deo Patre non est, idcirco cum eisdem eradicabitur. Illa ergo sola permanebit quae a Deo Patre est. Videndum est ergo si illa plantatio quam Apostolus plantavit eradicanda sit, annon. Ait enim: *Ergo plantavi, Apollo rigavit*: Haec namque Apostolica plantatio, quia a Deo Patre est, idcirco permanebit; unde ipse mox subiungit: *Deus autem incrementum dedit*. Sequitur: *sinite illos, coeci sunt, et duces coecorum*. Hoc est quod Apostolus dicit: *Haereticum hominem post primam, et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est huiusmodi, et a semetipso damnatus*. Iuxta hunc sensum praecepit Dominus in hoc loco ut omnes haeretici et quilibet pessimi doctores proprio arbitrio relinquantur, quoniam difficulter possunt trhai ad scientiam veri-

veritatis; et quia coeci erant, idcirco coecos populos ad errorem trhaebant. Scribae enim et Pharisaei coeci erant quia scandalizabantur; duces coecorum erant, quia eos, quos docebant, ad errorem trahebant. Unde et pulcre subditur: *Coecus autem si coeco ducatum psaestet, ambo in foveam cadunt*. Potest hoc intelligi dictum non solum de Scribis et Pharisaeis, sed etiam de haereticis et quibuslibet prave docentibus; quoniam si haereticus haeretico, et peccator peccatori ducatum praestet, ambo praecipitantur in foveam aeternae damnationis. Sequitur: *Respondens autem Petrus dixit: edissere nobis parabolam istam*: consueverat quippe Dominus loqui parabolice, et ideo Petrus cum audisset eum dicere *non quod intrat per os coinquinat hominum*, illum parabolice fuisse loquutum putavit, et ideo intorrogavit; et quia sub persona et ore ceterorum hoc dixit, idcirco simul cum eis correctus, et reprehensus est a Domino dicente: *adhuc et vos sine intellectu estis?* His verbis aperte demonstratur quia vitiosus et reprehensibilis est audi-

ditor, qui simplicem sententiam parabolice, et quod parabolice dicitur, simpliciter vult intelligere. Sequitur: *Non intelligitis quia omne quod in os intrat in ventrem vadit, et in secessum emittitur?* Fuerunt enim haeretici qui dixerunt Dominum ignarum fuisse Physicae disciplinae, quia dixit: omne quod in os intrat in ventrem vadit et in secessum emittitur. Physici enim dicunt quia mox ut escae et cibi sumuntur, virtus eorum, et liquidus humor per artus, venas, et nervos diffunditur; unde nonnulli post prandium aut coenam quamvis vitio stomachi evomant ea quae sumpserunt, tamen rubicundiores, et corpulentiores solent apparere. Illi enim dum Domini imperitiam ostendere voluerunt, se imperitos et stultos demonstraverunt. Nam quamvis virtus ciborum, et tenuissimus humor eorum per artus, venas et nervos eorum diffundatur, verumtamen per occultos meatus, quos graeci poros vocant, ad inferiora descendunt, et in secessum emittuntur, ut iterum novos cibos sumant. Sequitur: *De corde enim exeunt cogitationes ma-*

malae. Destruitur his vetbis error Platonicus, qui dixit principale hominis, idest sensus et intellectus, esse in cerebro. Iuxta Platonem ergo principale hominis est in cerebro, iuxta Dominum vero in corde. Reprehenduntur etiam in hoc loco illi qui dicunt omnes malas cogitationes a Diabolo immitti, et non propria voluntate nasci. Diabolus namque adiutor et incentor malarum cogitationum esse potest, sed auctor nullo modo potest existere. Cum enim Diabolus aliquam levem scintillam malarum cogitationum fomite suae malitiae succendit, et inflammat, non debemus intelligere quia ipse interiora cordis nostri valeat investigare, aut cogitationes intelligere, sed aliquando per habitum, et motum exterioris hominis cognoscit interiora. Verbi gratia, si viderit nos intente inspicere vultum mulieris, intelligit animum nostrum vulneratum jaculo amoris, et studet eumdem succendere flamma carnalis delectationis. De nominatis autem vitiis quae in divina lege prohibentur pulcre Dominus subiunxit: *haec sunt quae coin-*

coinquinant hominem, idest immundum, et impurum reddunt. Cum enim subiungit: *non lotis manibus manducare non coinquinat hominem*, aperte ostendit non corporalem, verum potius spiritualem lavationem sibi placere et gratissimam esse. De qua lavatione Dominus per Prophetam dicit: *Lavamini, mundi estote*. Et ne nos putaremus hanc lavationem corporalem esse subiunxit: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*. Hinc enim dicit malas cogitationes exire de corde, illic vero praecipit eas auferre; fructus namque malarum cogitationum sunt vitia quae inde sequuntur.



FINIS.